

BQX

7320

69

IMS







DE
PRULIANENSI MONASTERIO

ORDINIS PRAEDICATORUM INCUNABULIS

(1206-1340)

TOLOSÆ. — EX TYPIS A. CHAUVIN ET FILS, VIA DICTA DES SALENQUES, 28.

DE
PRULIANENSI MONASTERIO

ORDINIS PRAEDICATORUM INCUNABULIS

(1206-1340)

THESIM

FACULTATI LITTERARUM PARISIENSI

PROPONEBAT

JEAN GUIRAUD

SCHOLAE NORMALIS OLIM ALUMNUS
NECNON SCHOLAE QUAE EST IN URBE GALLICAE OLIM SOCIUS




LUTETIÆ PARISIORUM
APUD THORIN FILIUMQUE BIBLIOPOLAS
A. FONTEMOING, Successorem

4, VIA DICTA LE GOFF, 4

—
MDCCCXCVI





MAR 1 1972

REVERENDO IN CHRISTO PATRI

Francisco BALME, Ordinis Praedicatorum,

HUJUS OPERIS AUCTORI AC SUASORI

Grati et observantissimi animi pignus.

D. D. D.

INDEX CAPITUM

FONTES.	9
PRAEFATIO.	11

CAPUT PRIMUM.

Quomodo a B. Dominico conditum sit Prulianense monasterium (1206).	17
--	----

CAPUT II.

A fundatione usque ad lateranense concilium (1206-1215).	24
--	----

CAPUT III.

Quomodo monasterium res suas defenderit protectionemque impetraverit apostolicam.	45
---	----

CAPUT IV.

Quomodo ab anno 1215 usque ad 1340, Prulianum majora acceperit incrementa.	58
--	----

CAPUT V.

De visitatione monasterii, anno 1340, a Petro Guidonis effecta.	93
---	----

CAPUT VI.

Quomodo, bonis monialibusque magis ac magis destitutum, monasterium in deterius sit lapsum.	107
---	-----

CAPUT VII.

In quam formam monasterium sit exstructum.	111
--	-----

CAPUT VIII.

De ecclesia et monasterio sororum.	126
--	-----

CAPUT IX.

De fratrum Praedicatorum monasterio. 137

CAPUT X.

De monasterii officinis. 149

CHAPITRE XI.

De grangiis monasterii. 157

FONTES

1° E MANUSCRIPTIS DEPROMPTI.

- Archivium Atacinum; Prulianensia documenta inter quae *Acta visitationis* Pruliani maximi sunt momenti.
- Archivium Nationale Parisiis.
- Archivium Ordinis fratrum Praedicatorum Romae.
- Archivium municipii Limosini.
- Archivium Vaticanum. Collectoriae.
- Bibliotheca municipii Narbonensis. — *Index archivii archiepiscopalis a Roques conscriptus*. 6 vol. in-f°.
- Bibliotheca Nationalis; documenta a Doat in unum redacta.
- COMBEFORT. — *Historia manuscripta monasterii Prulianensis* (Pruliani asservata).

2° E LIBRIS EXUSIS DEPROMPTI.

- BALME (R. P.) et LELAIDIER (R. P.). — *Cartulaire ou Histoire diplomatique de Saint Dominique*. 4 fascicules.
- BOUTARIC. — *Saint Louis et Alphonse de Poitiers*. Paris, 1870.
- CANGIUS. — *Glossarium mediae et infimae latinitatis*. *Constitutiones Sororum Ordinis Praedicatorum*. Romae, 1650.
- DOUAI (Abbé). — *Les Frères Prêcheurs de Gascogne*. Paris, Champion, 1885.
- FABRE (Paul). — *Étude sur le Liber Censuum de l'Eglise romaine*. Thorin, 1892.

- FONDS-LAMOTHE. — *Notices historiques sur la ville de Limoux.*
Limoux, 1838.
- Gallia Christiana, in provincias distributa.*
- GREGORII, pape IX. — *Decretales.* Parisiis, apud Carolam
Guillard, 1550.
- HUMBERT DE ROMANS. — *Liber de instructione officialium
Ordinis fratrum Praedicatorum.* Romae, 1650.
- LAURENT (Paul). — *Testament de Jean Sésale, curé de Fan-
jeaux, 1423.* Carcassonne, 1886.
- MARTÈNE et DURAND. — *Thesaurus novus anecdotorum.* 5 vol.
in-f°. Paris, 1717.
- *Veterum scriptorum amplissima collectio.* 9 vol. in-f°. Paris, 1724, t. VI, p. 440. *Historia foundationum conventuum Ordinis Praedicatorum a Bernardo Guidonis conscripta.*
- PERCIN. — *Monumenta conventus Tolosani.*
- POTTHAST. — *Regesta pontificum Romanorum.*
- RÉCHAC (Jean de). — *La Vie du glorieux patriarche Saint
Dominique, fondateur et instituteur de l'Ordre des frères
Prêcheurs.* Paris, 1647, in-8°.
- RIPOLL. — *Bullarium Ordinis Praedicatorum.*
- VAISSETTE (Dom). — *Histoire du Languedoc,* édit. Molinier.
Toulouse, Privat.

PRAEFATIO

A B. Dominico conditus, dum adversus Albigenses verbum Dei praedicaret, ordinis Praedicatorum incubula, Prulianensis prioratus inter cetera monasteria claro illustrique nituit splendore, exemplum praebendo monialium quae a mundanis negotiis strictissima clausura seclusae, fenestra ferrata cum ipsis suis confessoribus communicantes, totis viribus sanctae conversationi intentae erant. Sed sub alia specie illum inspicere mihi nunc in animo est. Quum enim per Lauraguesium, Reddesium et Carcassesium longe lateque dispersas villas pretio seu donationibus comparavisset, tantam opum divitiarumque copiam assecutus est, ab anno 1206 usque ad 1340, ut trecentas personas in monasterio, seu praediis rusticis vulgo *grangis* dictis, detineret occupatas, rei pecuariae, agrorum culturae studeret, omnibusque faciendis operam daret, quae suis usibus quotidie necessaria essent, temporalia spiritaliaque moderantibus fratribus Praedicatoribus.

Ab anno 1206 quo conditus est, tantis divitiis cumulatus est ut ad summum pervenisse videtur

quum, anno 1340, monasterio canonice visitato, Petrus Guidonis, prior provinciae Tolosanae, in actis visitationis, nunc in Atacino tabulario Carcassonae asservatis, quid sibi compertum esset de rebus monialium agendis, quomodo agri colerentur, proventus procurarentur et expenderentur, quid sibi reformandum visum esset, adeo diligenter conscripsit ut hujusmodi visitationis instrumento, monasterium ante oculos nostros, ut ita dicam, reviviscat.

Quapropter, nisi vereremur ut argumento nostro obcaecati videremur, maximis illis documentis, Polyptico et ipsi S. Germani Parisiensis simile quodam modo nostrum diceremus.

Operae igitur pretium esse nobis visum est visitationis acta in lucem edere et notis explanationibusque illustrata, publici juris facere. Multa sane sunt quae ex his visitationis actis orta, eisdem quoque actis solvuntur, e quibus enim non solum quaerere quomodo agri coli, animalia pasci, cibaria confici, vestimenta que texi solerent, quam vitam agerent, saeculo XIV, fratres Praedicatorum, sorores inclusae, famuli artificesque, quibus pactis conducerentur operarii, quanti valerent quae ad victum vestitumque essent necessaria, sed etiam omnino explanare licet. Quae multum ad rem numariam, mercaturamque multum attinent, sed de rebus quoque civilibus et ecclesiasticis institutis nos docet Petri Guidonis relatio, quippe qua nobis constet quomodo jure patronatus in ecclesiis sibi subditis, uterentur moniales, quomodo colonos censualesque tractarent, quantas ab eis

pecunias exigere solerent; quomodo cum regiis magistratibus se haberent, quantumque esset tributum regi pro *amortizatione* solvi solitum, quibus consuetudinibus cum omnibus sive in provincia praesidibus, sive in civitatibus consulibus constitutis, aut cum praesulibus, in quorum ditioe suas ecclesias haberent sitas, quam denique personam in universo Praedicatorum ordine ageret prioratus; ex quo fit ut in certa provincia, Occitania scilicet, certaue monastica religione vitam agentes, saeculo XIV, in vitam reduci nobis videantur.

Quum ista adeo varia diversaque sint ut de illis inquirendo, multos per annos occuparem et ad doctorum palmam currentes, ultra metas projiceremur, necessarium putavimus nos in certis definitis argumentis consistere, nobisque haec duo quaerenda proponere, videlicet :

1° Quomodo praedia rustica acquisiverit Prulianensis prioratus;

2° Quam effigiem monasterium grangiaeque, anno 1340 praeberent.

Ad hujusmodi tractanda argumenta, multum nos juverunt visitationis acta, quibus tamen non sufficientibus, incubuimus ut omnia instrumenta ab anno 1206 usque ad 1340 scripta, in quibus de Pruliano ageretur, excuteremus; archivium igitur Prulianense, cujus magna pars nunc in tabulario Atacino asservatur, perlustravimus, quod non fuit sine negotio, non solum quia inordinata sunt adhuc Prulianensia monumenta (quod nobis impedimento

fuit ut documenta exacte citaremus), sed etiam quia, anno 1793, simul ac moniales ejicerentur, monasterii archivii disperditis, tantumque post octoginta annos cura Ill^{mi} ac R^{mi} de la Bouillierie, Carcassonensis episcopi, in archivium Atacinum reductis, haud pauca instrumenta evanuerint, nosque deperdita supplere cupientes, necessitas coegit ut antiqua transcripta e Bibliotheca Nationali et archivio ordinis Praedicatorum Romae, vel notitias e libris de B. Dominico monasterioque Prulianensi a Bernardo Guidonis, Combefort, Réchac, Percin conscriptis, depromeremus.

Operam quoque maximam contulerunt nonnulli de me optime meriti, qui huic libello perficiendo diligenter faverunt; in primis R. in Christo Pater, Franciscus Balme, ordinis Praedicatorum, qui B. Dominico et Prulianensibus monialibus devotissimus, a multis jam annis, sibi in animo proposuerat acta visitationis a semetipso inter cetera Prulianensia documenta inordinata, inventa, in lucem edere lucidisque commentariis explanare, sed, quum de B. Dominico et Johanna d'Arc eruditissimis indagationibus, maleque firma valetudine, ab hujusmodi argumento semotus esset, mihi, licet indigno, opus perficiendum tradidit, imbecilibusque humeris Elisaei alter Elias pallium imposuit. Gratias igitur maximas solvere libet tam docto benignoque hujus libri auctori et suasori.

Prulianum dum lustraremus vicinaque loca, benevolos in me se praebuerunt R. in Christo P. Doussot, ordinis Praedicatorum, qui monasterii diruti effigiem, Pruliani nostris adhuc temporibus servatam, mihi os-

tendit; locorum quoque sagax investigator D. de Teule qui loca personasque acute scrutando, non solum ubi sitae essent terrae in Prulianensibus documentis memoratae, sed etiam ubi nonnulla laterent instrumenta chartaeque invenit; D. Alma-Cardes, qui me peregrinantem excepit; eruditissimus quoque Atacini custos tabularii, D. Bloch, qui mihi, ut documenta excuterem, omnia facilia praebuit. Quibus omnibus libenti animo gratoque permultas dico gratias.

Non me fugit quanta in hunc libellum reprehendi possint, cujus prior pars nonnullis, sicut mihi me ipsi exilis tenuisque forsitan videatur; sed rara rudiaque instrumenta culpanda sunt magis quam qui eis, ut potuit, uti conatus est; nam ex una parte, quum longe lateque diffusa, ignota non pauca remaneant, multa caligine operiuntur, quumque ex altera a tabellionibus, notarili ritu scripta sint, fastidium lectoribus ipsa affere non mirum est. De quibus quidem, si tam lectori benevolo quam mihi met morem gerere voluissem, libenti tacuissem animo, nisi mihi rationi consonum visum esset primordia monasterii enarrare, priusquam statum quo, anno 1540, esset, perspicerem.

Nonnullis quoque rudis indigestaque moles videbitur sermo meus latinus, fateorque me, decem jam annis elapsis, a Tullio Virgilioque fere alienum, pauca illa amisisse quae apud eos comparavissem; imo, sexto jam anno, rudibus medii aevis disciplinis imbutus et ipse barbarus effectus, mediae et infimae latinitatis vocabula locutionesque usurpavi; consulto

tamen his usum sum vocabulis, fere barbaris, *gran-gia* videlicet pro *praedio rustico*, *coquina* pro *culina*, *granerio* pro *horreo*, hisque rudibus quoque locutionibus *ecclesia b. Martini de Limoso, silva de Ramondens*; nonnullisque aliis vocibus quibus personae et res exprimi solebant Latinis ignotae, *parochia* videlicet, *feodo*, *retrofeodo*, etc.; quia non a Sallustio Caesareve sermo mihi capiendus fuit latinus, sed a monumentis, saeculis XIII-XIV conscriptis, quibus tantummodo usus sum. Eadem quoque causa factum est ut, quum prae ceteris, cum fratribus Praedicatoribus, crucesignatis et episcopis, saeculis XIII-XIV, conversatus sim, haereticam pravitatem, sicut ipsi, Albigensium doctrinam, veram autem fidem, catholicam vocaverim, non quia litem iterum inire voluerim, quae mihi omnino videretur terminata, sed quia cum orthodoxis, latine balbutiendo, orthodoxe loqui didicerim.

CAPUT PRIMUM.

QUOMODO A B. DOMINICO CONDITUM SIT PRULIANENSE MONASTERIUM (1206).

Catharorum seu Albigensium proprium fuit non solum viros sed etiam feminas suis ipsorum superstitionibus constringere; etenim, indefessus ille haereticæ pravitatis propagator, Isarnus de Castris diaconus, dum, anno 1205, pagum Castrinovi de Arrio peragrat, ut res divinas secreto perpetraret, feminas potius clam adibat, easque mysticis *consolamenti* ritibus captas et involutas, haeresi implicare conabatur (1). Quapropter beatus Dominicus, quum Albigenses expugnare decrevisset, per Tolosanam dioecesim eorum superstitionibus sanctam opponendo Praedicationem, quam maximam tribuit operam ut imprimis haereticas mulieres ad ecclesiae gremium reduceret, quarum multas, si codici 609 Bibliothecae Tolosanae manuscripto fidem adhibemus, ad fidem revocavit catholicam. Ermengardam enim, Petri Boerii

(1) Balme, *Cartulaire ou Histoire diplomatique de saint Dominique*, p. 132.

uxorem, quam Isarnus de Castris ab Ecclesia seduxerat; Willelmam Martinam, Guillelmo Lombardo orbam, quae domi, Fanijovis, Catharos occultaverat, saepiusque ipsorum mandata exsecuta erat, « pluries *canelis* haeticorum portans textoribus; » Sauram, e Villa Comitalli oriundam, quae, septem annos paene nata, Catharorum sacris initiata erat, eorumque vestitum induerat, ab erroris nexibus, verbum Dei strenue praedicans, absolvit (1).

Sed, ipsas ad fidei catholicae unitatem revocatas, a parentibus vel maritis adhuc haeticis, sollicitas, multae maximaeque curae angebant et urgebant : a matre enim seducta, Raimunda videlicet de Rivale, quae apud Catharos *perfectae* titulo decorabatur, Saura de Villanova Ecclesiae reconciliata, matris precibus minisque reluctari est coacta; nam Raimunda, a christiana fide tantum aversa quantum Albigensibus devota diaconis, ad haeticos in castro Monteseuro commorantes, quo liberius ageret, confugit (2). Quum itaque in dubiis ponerentur quae ad fidem conversae erant, invisae proximis et amicis factae, blanditiis delentae minisque perterritae, in eoque essent ut ad priscas redirent credendi agendique normas, opus erat quam cito ipsarum animos confirmare, easque in unum congregare, quo facilius a necessitatibus et curis exemptae, vitam, Deo fideliter famulando, consumerent.

(1) Balmo, *op. cit.*, p. 172 et seqq.

(2) *Ibid.*, p. 182.

Ceterum, eodem modo usi erant haeretici ut feminas ipsorum sectae ab incunabulis adscriptas, matronisque educandas traditas, sibi servarent addictissimas : Fanijovis, si excipias quas instinctu divino, B. Dominicus ad fidem revocavit Romanam, ecce Florentiam, uxorem postea Petri de Villasiscla, quae adhuc parvula, quintum agens annum, Guillelminae de Tonenchis tradita est, P. Covinentem quae decem annos vix nata, a fratre haereticis tradita, apud *bonos homines* remansit, donec ipsam Dominicus Ecclesiae reconciliaverit (1). Postquam autem adoleverant, saepissime contingebat ut in cœnobiis a mundanis negotiis seclusae, religioso habitu, catholicarum more sanctimonialium, vitam agerent, jejunando, corpus dure tractando et *perfectis* summopere obtemperando; cujusmodi monasterium apud Linars juxta Fanumjovis indicat in suae inquisitionis relatione Bernardus de Caux. Itaque, quo melius haereticos pugnaret suis ipsorum armis, B. Dominicus statuit ut, more Catharorum, cœnobia aedificaret, in quibus noviter conversas in unum congregaret : quo proposito conditum est inclusarum monasterium Prulianense.

Portentosis fabulis pie ornaverunt discipuli primaevam hujus monasterii historiam (2); die enim B. Magdalенаe festo, anno 1205, cum sero, B. Dominicus, « pondere diei et aestu supportato (3), »

(1) Balme, *op. cit.*, p. 132.

(2) *Ibid.*, p. 135.

(3) Matth., XX, 12.

corpus et animum reficeret ante mœnia Fanijovis, unde totam planitiem prospiceret (1) oppido late subjectam, magna moliri, Virginemque Deiparam exorare, ut sibi indicaret ubi et quomodo aedificare posset monialium illud coenobium : subito, igneum fulgidumque globum de coeli spatiis descendentem, postquam varios hinc et inde gyros descripsisset, constitisse super antiquum S. Mariae de Pruliano oratorium, in media planitie exstructum, sicque B. Dominico mirifice a Deo declaratum esse locum. Coepit igitur beatus ille fidei Praedicator sibi persuasum habere suum ipsius propositum Numini gratum esse atque acceptum, pusillumque feminarum gregem congregatum in coenobio Prulianensi constituit die festo B. Caeciliae (22 nov.); die autem s. Joannis Evangelistae (27 decemb.), canonica perpetuaque stabilita clausura, conditum apparebat monasterium.

Cujus parva humiliaque fuerunt incunabula : novem tantum moniales congregatae erant, Adalaicia, Raimunda, Passarina, Berengaria, Richarda de Barbairano, Jordana, Guillelmina de Bellopodio, Curtola, Raimunda Claretta et Gentiana (2), quibus, pauperculis plerisque et e Fanojovis oriundis, refugium personis, fideique tutelam in monasterio praestabat Dominicus ; constitutionis enim relatio, mense decembri anni 1206 redacta (3), expresse declarat

(1) Qui locus, nostris adhuc temporibus, *Seignadou* sive *ad Signatorium* vocatus, in mentem revocat *Signum* B. Dominico a Deo datum.

(2) Percin, *Monumenta conventus Tolosani*, p. 5.

(3) Balme, *op. cit.*, p. 148. *Gallia christiana*, XIII, 247.

monasterium conditum esse « mulieribus conversis per Praedicatores, ad praedicandum contra haereticos et ad repellendam haeresim pestiferam delegatos. » Cella B. Mariae de Pruliano jure patronatus spectabat ad dominam Cavaers, Fanijovis castellanam, quae statim eam fratribus Praedicatoribus tradidit chirographo nunc quidem deperdito, sed a Percino in antiquo quodam Prulianensi codice olim recognito. Quum tamen, ut in plenam ipsius ecclesiae possessionem venirent, assensus episcopi capitulique Tolosani impetrandus erat, Fulconem episcopum Tolosanum, fiducialiter adierunt, quippe qui, anno priore Toroneti abbas, Cisterciensis ordinis monasterii, adversus haereticos et ipse verbum Dei praedicavisset, Tolosanaeque sedi a cruce signatis impositus, Catharorum infensissimus hostis, Praedicatorumque devotissimus protector et B. Dominici amicus effectus esset; quapropter, tam benivolum quam domina Cavaers monialibus morem gerens, eis, mense decembri 1206, cellam B. Mariae de Pruliano pleno jure, donationis titulo, in perpetuum concessit possidendam.

Cur vero iis interfuerit episcopus Tolosanus nec suffecerit charta donationis a domina Cavaers, oratorii patrona, subscripta, quaerendum est. Antequam B. Dominico traderetur, parochiali titulo insignita fuisse videtur ecclesia Prulianensis; decimas enim et primitias ceteraque parochialia jura exigebat (1),

(1) *Ibid.*: « ...decimae et primitiae quae ad jamdictam ecclesiam *jure parochiali* aliquando spectasse videntur. »

quae sane indebite retinisset, si parochia non extitisset, vel alteri non esset unita. Quum tamen e paucis domibus constaret Prulianum — nam in codice a Percin recognito, *oppidulum* nominatur, — arxque diruta esset, solique ibidem remanerent nonnulli milites, militiae Fanijovis subjecti (1), minimique esset momenti parochiam inutilem servare, episcopus dioecesanus, Fulco, Tolosanus antistes, ecclesia parochiali titulo privata, aedificia et territorium adiacens B. Dominico concessit, ut ibidem coenobium exstrueret, decimas autem, primitias et omnia quae parochiali jure exigebantur, ecclesiae Fanijovis assignavit, ut ejusdem rector in territorio Prulianensi partes ageret parochi (2).

Quum vero omnibus denudaretur redditibus quibus antea cella fruebatur, solumque ex ecclesia, aedificiis antiquis et vetustate vix non collapsis, et territorio « per triginta passus adjacente (3) » constaret, in tanta fuit conventus inopia adeoque exiguum monasterium ut ne novem quidem moniales in coenobii aedificiis commorari possent, aliquae vero ibidem collocatae essent, reliquae autem in castro Fanojovis remansissent (4) : documento est quoddam instrumentum,

(1) Balme, *op. cit.*, p. 150.

(2) *Ibid.*, p. 148 : « ...ita quod decimae et primitiae quae ad jamdictam ecclesiam parochiali jure aliquando spectasse videntur, ecclesiae quae est in Phano Jovis reddantur ex integro. »

(3) *Ibid.*, p. 148 : « ...ecclesiam B. Mariae de Pruliano et territorium per triginta passus sibi adiacens. »

(4) *Ibid.*, p. 154 : « Concedimus priorissae et monialibus noviter conversis, monitis et exemplis fratris Dominici Oxomensis sociorumque ejus habitantibus nunc et in perpetuum *in castro Fanijovis et in ecclesia B. Mariae de Pruliano...* »

die 17 aprilis 1207 datum, in quo moniales non omnes Pruliani habitare dicuntur. Attamen, in tanta egestate diu non perseveravit conventus, quippe qui mox a multis tot et tanta dona praediaque in Fresquelli valle et in Reddensi pago acceperit, ut in bulla sibi ab Innocentio papa III, in concilio Lateranensi, anno 1215, concessa, latifundiorum possessor manifestus apparuerit.

CAPUT II.

A FUNDATIONE USQUE AD LATERANENSE CONCILIUM,
(1206-1215.)

Multae diversaeque causae et rationes fuerunt quae benefactorum animos induxerunt ut bona praediaque recenti monasterio largirentur. Nam saepius evenit ut monialium pie casteque degentium admiratione capti, aut B. Dominici virtutibus ingenioque devicti, nonnulli seipsos omniaque sua conventui traderent ita ut a principio, abbatiarum benedictinarum more, *donatos* et ipse habuerit prioratus Prulianensis. Mense enim aprili 1212, Arnaldus quidam Martini se uxoremque suam, filios, omniaque bona mobilia et immobilia pleno jure possidenda tradit (1) « amore Dei et b. Mariae motus, et pro redemptione suae suorumque animarum, » hoc videlicet pacto ut moniales pro se suisque Dominum Beatamque exorent Virginem eosdemque « in suis benefactis et orationibus colligant. » Quibus proposito et conditionibus conventus homo effectus inclusarumque meritorum particeps, a

(1) Balmo, *op. cit.*, p. 295.

conventu quae ipse dedit, conductionis ratione, rursus assumit; et quo clarius appareret non sua sed monasterii illa esse bona a se ipso rursus recepta, se pro ipsorum usu censum annum duodecim denariorum melgorensium, in festo Resurrectionis dominicae soluturum esse, in perpetuum promisit, dieque sui obitus quinque solidorum ejusdem monetae eleemosynam facturum. Unde patet nonnullis donatis, etsi conventus homines sint effecti, in praediis, sicut antea, cum uxore, liberis, totaque familia vitam degisse bonorumque suorum merum servavisse usum ipsaque legavisse haeredibus, quum tantummodo quinque solidi, non omnia, die obitus conventui relinquuntur, perpetuusque dicatur census. Quid plura? Instrumento donationis nihil aliud egit Arnaldus nisi proprietatem eminensque dominium in perpetuam emphyteosim, vel, si malueris medioevale verbum usurpare, allodium in beneficium mutavit.

Alia quoque sunt donationis genera quibus strictioribus pactis alligabantur donati; nam, die 7 maii 1212, Bernardus Catolica de Barsa, non solum se, suos suaque sororibus concessit, retinendo tamen, ut Arnaldus Martini, bona utenda non possidenda, sed etiam in monasterio conversari, vestem regulamque monasticam accipere, quando sibi visum foret, in animo habebat (1). Quibus conditionibus multi se donaverunt: Petrus enim Guidonis, quum, anno 1340,

(1) *Ibid.*, p. 309. Bibl. Nat., Doat, 98, 7. « Quando habitum recipere voluero, dabo ibi mecum centum solidos melgorienses. »

visitationis officio Pruliani fungeretur, non paucos invenit donatos (1) burellam vestem, si minori, albam autem, si majori doctrina imbuti viderentur, indutos, vitamque, fratrum laicorum ritu, fratribus Praedicatoribus obtemperando, in monasterio vel in grangiis degentes. E quibus, inclusarum Beatique Dominici fama allectis, divitias perpetuosque redditus sibi comparavit prioratus.

Multo tamen majora commoda a cruce signatorum bello accepit monasterium. Quo enim magis in partes meridianas procedebat Francigenarum exercitus, cuncta sibi submittendo, eo majoribus incrementis gaudebant sorores; nec mirum: quum enim haereticae pravitati repellendae totis viribus ambo intenti, eadem sibi proponerent Dominicus et Simon de Monteforti, diversis tamen modis, acriter pugnando Simon vique ad Ecclesiae unitatem rebelles compellendo, indefesse autem praedicando Dominicus animasque verbo et exemplo mulcendo, quae alteri succedebant, alteri quoque erant secunda, alterque alteri ultro auxiliabatur. Vix completus erat annus ex quo moniales Prulianum ingressae erant, quum charta donationis 17 aprilis 1207/1208 data, a Berengario, Narbonensi archiepiscopo, parochialis altera ecclesia cum bonis proventibusque omnibus concedebatur in perpetuum, ecclesia videlicet B. Martini de Limoso cum decimis, primitiis, oblationibus, parochialibus

(1) Atacinum tabularium. Documenta Prulianensia. *Visitatio Pruliani, passim.*

juribus pertinentiisque omnibus territorioque Taxensi eidem contiguo, salvis tamen cathedrali et procurationis jure, sibi ab archiepiscopo vindicatis, pactumque est vicarium perpetuum ecclesiae postea deserviturum, ab inclusis, ecclesiae patronis, prius praesentatum, ab archiepiscopo, ordinario loci, nominatum iri (1). Regale sane munus erat; etenim, relatione visitationis in monasterio, anno 1340, a Petro Guidonis factae, una ex opulentissimis conventus rebus declaratur ecclesia B. Martini de Limoso, cujus recepta annua 959 libras, 16 solidos turonensium explebant, expensae autem 548 libras ita ut, exclusis expensis, 390 librarum summam redditus excederent (2). Non equidem dubitandum est quin per centum annorum et amplius spatium, istius ecclesiae proventus majores sint effecti; magnos tamen, anno 1208, fuisse putabis, si diligenter attendas quanta invidia quantoque studio de ipsa cum monialibus litigaverint monachi S. Hilarii, invalidam esse donationem asserentes, sibi que ecclesiam vindicantes habendam (3).

(1) Balme, *op. cit.*, p. 154. Bibl. Nat., Doat, 98, 7. « Damus et libere concedimus... ecclesiam B. Martini de Limoso, nostre diocesis, in Reddesio, cum omnibus decimis et primitiis territorii de Taxo eidem contigui, cum oblationibus et cum omnibus juribus suis et pertinentiis jure proprio possidendam., salvo tamen jure episcopali nobis et successoribus nostris, tam in cathedrali quam in procurationibus et visitationibus et in commissione curae animarum illi sacerdoti qui a dictis monialibus vel aliquo fratre, loco earum nobis vel nostris successoribus fuerit presentatus. »

(2) Atacinum tabularium, *Visitatio Pruliani*, 1340, fol. 8°, col. 4^a; fol. 9°, col. 1^a.

(3) Cujus controversiae processum infra explanabimus.

Cur ita se liberalem exhibuerit Berengarius quaerendum est. In instrumento quidem donationis, ecclesiam se « dare et libere concedere » asserit « in redemptionem animae suae canonicorumque S. Justi Narbonensis » donationis laudatorum. Si tamen ejus mentis penetralia adeamus, mox persuasum habebimus archiepiscopum verba dedisse, nec sponte sua neque monasterii amore, sed dubiis, in quibus versaretur, rebus, chartam donationis subscripsisse. Berengarius enim (1), quum catharorum sectae favere videretur, et catholicorum suspicionem moveret, ab apostolicae sedis legato Petro de Castronovo, apud Innocentium III accusatus erat; reipsa, segniter molliterque catholici praesulis partes egerat, haereticam doctrinam magis ac magis ingravescere aequo tulerat animo recusaveratque una cum apostolicis legatis Tolosano comiti expresse praecipere ut Albigenses aperte pugnaret religionemque tutaretur prope labefactam. Causa igitur cognita, negligentiae et avaritiae crimine flagraverat, quumque prius causam dicere criminaque repellere tentavisset, antiquius deinde habuerat veniam exposcere melioremque se exhibiturum promittere, et, anno ineunte 1207, ad limina Apostolorum profectus, summi pontificis arbitrio se subjecit ut depositionem vitaret sibi a legatis minaciter denunciata (2).

Quae animum iramque ita flexerunt Innocentii ut

(1) Dom Vaissette, *Histoire du Languedoc*, édit. Molinier, VI, p. 232-235.

(2) Potthast, *Regesta pontificum Romanorum*, n° 3113.

paulo post, die 29 maii 1207, abbati Cisterciensi Convenarumque episcopo, legatis in Gallia apostolicis, nuntiaret se, perpensis Berengarii grandaeva aetate infirmaque valetudine multisque in itinere quos perpessus esset, laboribus, sed imprimis abbatae Montisaragonis demissione ab ipso facta, quae magis quam archiepiscopalis dignitas ipsi esset cordi, eidem archiepiscopo alterum assignavisse peremptorium terminum quo meliorem ageret poenitentiam, ea duntaxat conditione ut, nisi in melius converteretur, sententia plecteretur suspensionis (1). Berengarius igitur Narbonam iter arripuit, quo postquam pervenit, non diu fidelis permansit. Sed rapido praecipitabant fluctu varii rerum eventus. Jam, die 17 octobris 1207, summus pontifex regem Francorum, Philippum-Augustum hortabatur ut adversus haereticos arma moveret et, die 15 januarii 1208, apud S. Egidium necato legato apostolico, Petro de Castronovo, rursus communes mittebat epistolas, die 10 martii 1208, episcopis in partibus Galliae meridianis constitutis et prae ceteris Narbonensi archiepiscopo, quibus omnibus Christi fidelibus horrendum denuntiaret facinus, excommunicationis vinculis innodaret tanti sceleris patratores vel fautores et imprimis Raimundum VI, Tolosanum comitem, plenariam peccatorum indulgentiam promitteret omnibus qui ad orthodoxam fidem defendendam, haereticosque exterminandos, arma caperent. Quibus acceptis gran-

(1) Dom Vaissette, *Histoire du Languedoc*, VI, p. 255.

dibus litteris, nihil celerius egit Berengarius quam beatum Dominicum, orthodoxae doctrinae strenuum apostolum legatiquae trucidati fidelem socium, adire, eique die 17 aprilis 1208 (1), in aedibus Carcassonensis episcopi ecclesiam concedere B. Martini de Limoso. Non igitur sponte sua neque pro redemptione animae suae et canonicorum S. Justi aeterno remedio neque Beati Dominici monialiumve amore, sed metu potius, ut fidelem se exhibendo pontificem sibi benevolum conciliaret, nubemque vitaret luctuosam, tam magnifico munere Pruliani inclusas prosecutus est; quumque, ineunte 1209, arma capientibus Francigenis militibus saevaque in haereticos haereticorumque fautores molientibus, timore urgeretur, tunc recordatus donationis a se anno priore factae, ipsam executioni mandari iussit, Guillelmumque Clareti, monialium procuratorem, in possessionem quam cito mitti ecclesiae B. Martini, cum pertinentiis, redditibus, territorioque Taxensi. Sicque instrumentum confectum est, praesentibus Bernardo Raimundo de Rupeforti, Carcassonensi electo, Raimundo Clerico, archipresbytero Reddensi, aliisque testibus; absentibus autem B. Dominico, qui socium suum Guillelmum Clareti miserat ut, monialium nomine, possessionem intraret bonorum, et donatore ipso Berengario qui vices suas mandaverat Isarno de Aragone, archidiacono Carcassonensi, dioecesisque Carcassonensis, sede vacante, administratore (2).

(1) Balme, *op. cit.*, p. 154.

(2) *Ibid.*, p. 200. Bibl. Nat., Doat, 98, f° 27.

Paulo post, primis junii diebus, agmine acto cruce-signatorum, ante Montempessulanum, die 15 julii 1209, stetit Simon de Monteforti cum exercitu; die 22, expugnata est nefandaeque direpta civitas Biterrae et, mediantibus vicecomite et ipso archiepiscopo Berengario, in Simonis potestatem se permisit Narbo. Nam et Carcassona, arx tam natura loci quam hominum arte munitissima, primis augusti diebus, obsessa, fame domita, astuque decepta, etsi a Raimundo Rogerio Trencavello vicecomite strenue defenderetur, expugnabatur, et Simon dominus renuntiatus est omnium terrarum haereticis captarum seu capiendarum. Subjecta igitur Carcassona, sponte in ditionem hostium venerunt Limosum Monsregalis, Fanumjovis omniaque circumvicina oppida, moxque Tolosam iter arripiens, die prima septembris (1) Prulianum veniebat cruce-signatorum exercitus; ex quo prioratui tantae manaverunt donationes, ut post aliquot annos ex inope egenoque, locupletissimus foret effectus prioratus.

Quum enim, ineunte maio 1211, cum exercitu Simon Vaurum oppidum obsideret, ad ipsum venissent B. Dominicus et Fulco episcopus, prius in Tolosanos excommunicationis lata sententia, omnesque in unum adunatae essent orthodoxae fidei vires, urbs expugnata est, die 3 maii (2), Inventionis S. Crucis festo, cantantibus omnibus hymnum qui *Veni Creator* incipit; et, instante obsecranteque Fulcone, statutum

(1) Balme, *op. cit.*, p. 205. Dom Vaissette, *op. cit.*, VI, p. 285-350.

(2) Dom Vaissette, *op. cit.*, VI, p. 357.

est Tolosanam civitatem inde obsessum iri ita ut, Raimundi vassallibus fere omnibus devictis denudatisque, et ipse Raimundus deviceretur et denudaretur. Sed antequam opus tam magnum aggredierentur, quo secundiora omnia, Deo auxiliante, efficerentur, monasterio Prulianensi, a B. Dominico ad repellendam haeresim creato, magna largiri sibi proposuerunt sicque, Vauro paene expugnato, priusquam ad partes Tolosanas se conferrent, die 13 maii 1211, B. Dominico et inclusis concesserunt Simon et Fulco ecclesiam S. Juliani de Bromio grangiamque de Sauzenchis (1).

Quae ecclesia B. Juliani de Bromio eisdem fere conditionibus donata est ac ecclesia B. Martini de Limoso : assentiente enim Mascarone, cathedralis ecclesiae S. Stephani Tolosani praeposito, monialibus, quamdiu duntaxat viverent, Fulco parochiam assignavit cum pertinentiis, redditibus temporalibus et spiritualibus, decimis ac primitiis, capellani ab inclusis praesentati nominatione juribusque spiritualibus episcopo Tolosano reservatis. Quam largitionem miro modo auxit Simon de Monteforti, conventui concedendo totum praedium de Sauzenchis quod ab oppido Bromio tribus tantum abest millibus passuum « includiturque inter territorium Bromii et territorium Villaepictae (2). » Quum pratis constaret, pascuis et nemoribus, terraque ita debilis esset « quod sola tertia pars terrarum grangiae in uno anno coleretur et

(1) Balme, *op. cit.*, p. 231. Bibl. Nat., Doat, 98, f° 47.

(2) *Ibid.*, p. 215. Tabul. Atacin., Prulianensia documenta.

araretur » rursusque « valde dulcia et amicabilia animalibus lanutis essent pascua (1), » rei pecuariae magis quam agrorum culturae aptum erat istud latifundium. Si vero aestimare velis quanto valerent quae a Simone et Fulcone inclusis data sint, sciendum est, anno 1340, tempore visitationis a Petro Guidonis factae, redditus grangiae de Sauzenchis, Bromio computato, summam 248 librarum, 6 denariorum explesse.

Multa etiam alia monialibus ab eisdem collata sunt, ut testantur instrumenta in Prulianensi archivio olim asservata. Nam Fulco non solum, extremo anno 1211, conventum liberavit a solutione decimarum et primitiarum, ratione acquisite, solvendarum (2), sed etiam post duos annos, quum, episcopo Carcassonensi duce, novae crucesignatorum copiae ad partes pervenissent Occitaniae, beatusque Dominicus et Tolosanus episcopus apud Simonem de Monteforti in unum convenissent, Fulco monasterio restituit partem primitiarum decimarumque, quae anno 1206, Pruliano ablatae, ecclesiae Fanijovis parochiali assignatae erant (3). Quae eo faciliorem effectum sortita sunt quod capellanus Fanijovis erat ipse Dominicus, nec dubitandum est quin assensum praeberit omnibus quae res augerent a se creati monasterii.

(1) *Visitatio Pruliani*, fol. 12, col. 3.

(2) Balme, *op. cit.*, p. 266.

(3) *Ibid.*, p. 450 : « Do et concedo in perpetuum monialibus de Pruliano decimas et primitias trium aratrorum suorum et triginta arpentorum vinearum quae sunt ejusdem domus in territorio et decimario de Phanojovis. »

Simon quoque de Monteforti conventum protectione fovit continua (1) et saepe non solum nonnullas confirmavit donationes monialibus a suis factas commilitonibus (2), evidenter declarans quantae curae sibi essent inclusae dominicanae, sed etiam multa magaque ex haereticorum spoliis et ipse largitus est. « Quand Simon de Montfort, » ait cl. vir Augustus Molinier (3), « fut établi dans les vicomtés de Béziers et de Carcassonne, l'expulsion (le faiditisme ou la fuite) des anciens seigneurs et la confiscation de leurs domaines mirent entre ses mains un très grand nombre de terres. Il les distribua à ses compagnons d'armes originaires presque tous, comme lui, de l'Ile-de-France, qui restant toujours à ses côtés, formaient le noyau de ses forces militaires, la troupe d'élite qui lui permit de remporter les victoires de Castelnaudary et de Muret. » Piis etiam locis multa assignavit, imprimisque Pruliano cui, eodem die 15 maii 1211, quo grangiam dabat Sauzenchis sitam, vineam tradebat *faiditi* Bernardi de Saxiaco in decimario Fani-jovis (4) sitam, et die 1^a decembris 1212, quum apud Appamias solemne habuit concilium, ut leges populis daret Occitaniae, monasterium privilegii charta aliisque prosequebatur donis (5).

(1) *Ibid.*, p. 216 : « Nos vero eandem ecclesiam, et personas, et res ejusdem cum omnibus suis juribus predictis tenemus et volumus nos et heredes nostri semper custodire et tueri. »

(2) *Ibid.*, p. 323, 371, 406, 407.

(3) Dom Vaissette, *op. cit.*, édit. Molinier, VII, p. 543.

(4) Balme, *op. cit.*, p. 216.

(5) Balme, *op. cit.*, p. 343. Atacinum tabularium, Documenta Prulianensia.

Quum enim monasterium magis ac magis crevisset, magnisque passim latifundiis acquisitis, in exiguo tamen esset, oportebat longius latiusque propagaretur territorium illud per triginta passus ecclesiae et aedificiis circumjacens; quapropter Simon sororibus in eleemosynam dedit « duos campos terre qui fuerunt domine Cecilie, unum apud Montem Baion, et alium apud Bezant, quos volebat commutari pro terra que erat juxta ecclesiam, que clauditur cum eadem ecclesia, *ad ampliandas ejusdem domus officinas.* » Praedium quoque Sauzenchis situm, quod anno proximo monialibus tradiderat, ampliare cupiens, eodem instrumento dedit inter Bromium et Villampictam in decimario Sauzenchorum, usum sex aratrorum et triginta jugerum vinearum; denique de haereditate quam Vilarius et fratres faiditi apud Vilarium, juxta Prulianum, possidebant, vineam et hortum assignavit. Quibus donationibus effectis, longe lateque patebant terrae monasterio adjacentes, ipsiusque fines prolati erant.

Milites et ipsi crucesignati, ad instar ducis, e bonis faiditorum publicatis et a semetipsis acquisitis, partem non minimam tribuerunt monialibus. Fremis enim « Francigena » in perpetuum inclusis tradidit (14^a februarii 1212) (1), medietatem cujusdam terrae sitae « ubi dicitur *al Romengar* », juxta viam quae Pruliano ducit Fanumjovis, quae quidem terra Guillelmi Ospitalers, Stephani Engles, Petri Rozaldi et Guillelmi Rozaldi, fratris ejus, fuerat haereticorum,

(1) Balme, *op. cit.*, p. 285. Atac. tabul., doc. Prulianensia.

sed publicata in manus devenerat praedicti Fremis; totam insuper vineam quae erat in decimario S. Martini, quaque praedicti spoliati erant Stephanus Engles et Guillelmus Ospitalers faiditi, medietatemque ejusdem Ospitalers haeretici domus; sicque magis ac magis extendebatur Pruliani territorium usque ad decimarium Fanijovis praediaque Fenoleti conventui quinto proxime elapso die (1), ab Usalguerio et Raynerio concessa.

E militibus qui in meridianas partes crucesignati venerant, Simoni devotissimus erat Robertus Malovicinus qui, ut ipse, e Francia oriundus, Jadram, in Hungariam, tuncque in Occitaniam ipsum secutus erat; in quo tantam collocaverat Simon fiduciam ut, quum, expugnatis Biterris et Carcassona civitatibus, a summo pontifice in possessionem omnium recenter subactorum mitti peteret, Robertum, fidelissimum nuntium, Innocentio delegaret (2). Multa deinde eidem in territorio Fanijovis haeticis et imprimis Guillelmo de Duroforti faidito ablata publicataque concessit. Omnium quidem priscarum gentium per Reddesium vel Lauraguesium commorantium, fere nobilissima erat gens de Duroforti quae militiae Fanijovis magna pars erat; nam, quum Fanijovii milites, die 1^a martii 1241, se foedus a B. Ludovico et Raimundo VII ictum, inviolabiliter servaturos esse promiserunt, inter eos, imo prae illis invenimus Hu-

(1) Balme, *op. cit.*, p. 277.

(2) *Ibid.*, p. 320.

gonem de Duroforti (1); sed, anno 1211, Guillelmus faiditus omnibus suis bonis spoliatus erat (2) quae Roberto Malovicini prius concessa, deinde ab eodem Roberto, assentiente Simone de Monteforti, qui apud Pennam, die 5 augusti, chartam donationis laudavit, monialibus Prulianensibus pleraque sunt data (3).

Paulo post, Roberti vestigia secutus, alius e cruce-signatis militibus, Guillelmus del Essart, qui, quum et ipse Simonis de Monteforti in Francia vassallus existeret, eum in Albigenis partes secutus, dominus constitutus erat Villaesisclae (4), (quod oppidum Montisregalis colli, subjectum est, juxta viam qua Bromio itur Prulianum), faiditorum bonorum sibi concessorum partem non minimam monasterio assignavit. Charta enim donationis, die 15 septembris 1212 (5) a se subscripta, monialibus tradidit quas receperat terras circa monasterium, duodecim videlicet sextariatas terrae in decimario Fanijovis; quae bona fuerant « domine Fais et filiorum ejus. » Quam vero Fais ejusque filios, Sicardum de Duroforti et Petrum de Insula, plane novimus e familia oriundos esse de Duroforti et Catharorum doctrinis implicatos; etenim, quum, anno 1204, concilio Fanijovis habito, Albi-

(1) Arch. Nat., J, 305, 19.

(2) Bibl. Nat., cod. lat. 11013, fol. 51. Anno 1261, inquisitoribus regiis declaraverunt moniales « quod dominus Robertus Malovicinus dedit sororibus Pruliani, amore Dei et pro redemptione animae suae, consilio domini comitis Montisfortis, hereditatem totam quae fuerat G. de Duroforti *faiditi*. »

(3) Balme, *op. cit.*, p. 314. Atac. tabul., documenta Prulianensia.

(4) *Ibid.*, p. 325, note 1.

(5) *Ibid.*, p. 324 : « Et hoc donum feci de honore quem dominus comes Montisfortis michi dedit. »

gensis sectae episcopus Guilabertus de Castris, *consolamentum* contulisset Esclarmondæ, Fuxensi comitissae, et quampluribus mulieribus e gente de Duroforti oriundis, istis haereticorum sacris interfuerant praedicta Fais cum nuru Auda, Petri de Insula uxore, et Raimunda, Guillelmi de Duroforti uxore (1). Ex quo suspicari est a cruce signatis, postquam Occitaniae partes occupaverint, dominae Fais, sicut et Guillelmi de Duroforti, bona, haereticae pravitatis causa, publicata esse monasteriique Prulianensis juris facta, mediante Guillelmo del Essart. Quum vero haec bona « in decimario Phanijovis, juxta Forciam, » sita essent, hujus regionis formam inspicienti perspicuum est hujusmodi donatione ampliata esse territoria conventus aedificiis immediate adjacentia.

Aliquot post dies, aliis aucta sunt incrementis ab Ingelrano de Bova qui, quinto die postquam congressui, apud Appamias habito, interfuerat, Carcassonam iter ingressus ut copias armatorum congregaret (2), Prulianique moratus, monasterio dono dedit situm apud Vilarium (3) « molendinum venti » quod fuerat « Raimundi de Gramazia et Pictavini Arvei » cujusque medietatem emerat « quam Raimundus de Gramazia ibi habebat. » Sane verisimile est molendinum et ipsum, vel saltem ejusdem dimidiam partem, ex haereticorum bonis publicatum esse, quippe quod neque haereditatis titulo occuparet Ingelranus

(1) Balme, *op. cit.*, p. 108, note 1; p. 439.

(2) Dom Vaissette, *op. cit.*, IV, 393.

(3) Balme, *op. cit.*, p. 353. Bibl. Nat., Doat, 98, f° 13.

de Bova, quum ex Ambianensi pago esset ortus, neque totum emptionis titulo, quum medietas tantum quam Raimundus de Gramazia haberet, ab ipso Ingelrano empta dicatur. Non igitur medietatem emit quae Pictavini erat Arvei; ex quo liquet unam saltem medietatem vi occupatam esse, et sicut cetera faiditorum spolia, in monasterii possessionem, mediantibus crucesignatis benefactoribus, devenisse.

Sed quid juvabat molendinum sine furno? Cui monialium voto occurrit Odes Judeus, dominus Capladae, qui instrumento, die 25 februarii 1214, subscripto (1), inclusis dedit juxta Vilarium « quoddam locale ad aedificandum ante furnum de terra Caplada cum introitu et exitu ejus (2). » Quum brevissimum sit instrumentum, nil aliud scimus de ista donatione, donatorisque genere et habitu (3).

Multa alia emit B. Dominicus ut agros Pruliano circumvicinos continuaret usque ad decimaria Vilarii, Villaesisclae, Forciae et Fanijovis: ab Isarno Bola videlicet censivas « jura et dominationes » nonnullarum in loco *ad fontanas* dicto, sitarum terrarum; a Guillelmo et Raimundo Aimerici, die 19 maii 1213, « quandam peciculam terre ad *Castrum Vetus* »; a Martino Rigaudi, die 1^a februarii 1214, quamdam aliam « peciculam terre »; a Babonibus, quae gens

(1) Bibl. nat., collectio Doat, 98, f° 14 v°.

(2) Qui locus idem fuisse videtur ac locus nunc vulgo dictus *les Canonges*, juxta Vilarium (Villasavary) Cassanhas (La Cassaigne) Fanumjovis (Fanjeaux) et Prulianum.

(3) Juaedus non erat etsi Judeus cognominaretur; nam ista dono dedit monasterio « pro anima matris mee et pro anima mei ipsius. »

erat Fanijovis ditissima, omnia quae possidebant in mota Castri Veteris; sicque, longe lateque diffuso territorio quod per triginta passus aedificia coenobii in principio includebat, latifundio undique ambiente gaudebat prioratus (1).

Insequentibus autem annis, sicut antea, crucesignati milites, qui, devictis haereticis, in eorum dominia successerant, monasterium ita magnis cumularaverunt donis ut nova per Carcassonensem pagum, Lauraguesium et Reddesium constituta sint Pruliano latifundia; exeunte enim 1214, Hugo de Lascy B. Dominico sororibusque tradebat terras apud Villamnovettam, Villaepictae ab una parte, Podio Soriano ab altera finitimas, sicut continetur in instrumento quo Simon de Monteforti donationem laudavit atque confirmavit (2). Quomodo vero ad manus devenissent Hugonis et ab ipso monasterio traditae sint, nescimus; — desideratur enim donationis charta; — sed suspicari est. Quum e Francia ortus esset ipse Hugo et spoliis haereticorum ditatus, Castrique Novi de Arrio et Lauraci dominus effectus esset, non est dubium quin terrae sic ab eo monialibus traditae, faiditorum fuissent, easque dederit quia, vicinitatis causa, cum coenobio consuetudines fecisset; nam terra de Caplada cujus pars ab Odes Judeo jam concessa erat, etsi in territorio Vilarii sita esset, Lauraci tamen attingebat fines.

(1) Balme, *op. cit.*, 385, 429, 541. Bibl. Nat., Doat, 98, f^{os} 16 et 19. Tabul. Atacin. Docum. Prulianensia.

(2) *Ibid.*, p. 403.

Alanus de Roucy et ipse e Francia oriundus, Simonemque secutus et ab eo Monteregali et Bromio donatus, non solum monasterio finitimus erat, cujus terras undique prospiciebat, sed etiam in spiritualibus Pruliani juris erat, quum jure patronatus in parochiali ecclesia Bromii fruerentur moniales. Propterea, B. Dominico sororibusque dedit, mense junio 1214, « locum ad domum, ad aream et ad hortum » apud Bromium (1). Quibus omnibus recognitis a Carcassonensi locorum sagace investigatore, domino de Teule, nunc liquet adhuc exstare domum quae a monialibus ibidem aedificata et usque ad proximi saeculi excidia occupata, *métairie de Prouille* vocata sit, territoriumque domui adjacens usque ad Bromatel et Preuille decursus patuisse.

Aliis quoque terris ab abbate conventuque monasterii Sauricini, ordinis S. Benedicti, aucta sunt quae apud Bromium et Sauzenchos juris erant monialium; cujus quidem donationis instrumentum deperditum est, sed alia testantur documenta a praedicto abbate Sauricini terras apud Gardelam dominabus concessas esse. In bulla enim apud S. Petrum, die 8 octobris 1215 (2) data, qua prioratum sub B. Petri et sua protectione recepit Innocentius papa III (3), mentio fit de possessionibus « quas apud Gardelam abbas et conventus Sauricini » contulerant. Ceterum, in schedis eruditissimi viri Rouchard, Aquensis bibliothecae

(1) Balme, *op. cit.*, p. 461. Bibl. Nat., Doat, 98, f° 20 v°.

(2) Ripoll, *Eullarium ordinis Praedicatorum*, I, n° 1.

(3) *Ibid.*, I, n° 7.

cae quondam custodis, invenit de Teule infrascriptam mentionem e priscis deperditisque monumentis desumptam : « 1212, l'abbé de Sorèze, prieur de Villepinte, et le chapitre de Sorèze, donnent à S. Dominique la directe qui est entre le chemin marchand et le lieu de la Gardiole, confrontant au décimaire de Villenouvette et de Bran (1). »

Testatur etiam praedicta Innocentii III bulla a Petro Aragona quaedam apud Alzonam bona recepisse conventum; sed, instrumento deperdito, nil aliud scimus. Nunc vero, locorum descriptionem diligenter perspicienti evidenter apparet omnia praedia apud Gardelam, Villamnovettam, Sauzens, et Alzonam sita, uno prope tenore continuari circum Bromium, ubi domum ecclesiamque parochialem occuparent moniales, ita ut latifundiorum, sicut et Prulianum, Bromium caput existeret.

Tertiam grangiam monasterio constituit Hugo de Lascy, qui non solum Villamnovettam, sed etiam in loco dicto Agassenchis, in Payra terminis sito, culturas, domos « et pascua animalibus et ligna ad comburendum et ad aedificandum domos in loco de Agascens, in foresta de Podio Lunar » sibi pleno jure propria, tradidit (2).

Quartum praedium constitutum est in Reddesio superiori a Lamberto de Thureyo qui, quum strenue dimicavisset in expugnatione castri Podii Viridis, eo-

(1) Quem locum eundem esse ac praedia *Joffre* et *Barbette* in locorum militari tabula memorata, censet de Teule.

(2) Balme, *op. cit.*, p. 459. Bibl. Nat., Doat, 98, f° 53.

dem castro, praerupta rupe opportune posito, a Simone de Monteforti donatus erat, ex quo, speculator pervigil, oppida Avelaneti et Montissecuri, ad novas moliendas res semper prona, haereticasque gentes per Saltum constitutas, et prae ceteris gentem de Aniorto, observaret; quibus in terris, « intuitu pietatis et ob remissionem peccatorum », conventui assignavit Prulianensi casale Podii cum pertinentiis, juribus, tribusque aratris terrae et insuper « quatuor arpenta terrae ad plantandam vineam et tantumdem ad opus prati, infra terminium castri praedicti. » Concessit « similiter quod animalia praedictae domus possent libere pascere in totis pascuis terrae » suae (1).

Quid plura? Quum a Fulcone, Tolosano episcopo, belli adversus haereticos incepti, auctore, a primis incunabulis tutatum, necnon a Simone de Monteforti, duce exercitus, incrementis auctum, et a commilitonibus ejus multis cumulatam sit beneficiis, multa magnaue a cruce signatorum exercitu acceperat Pruliani monasterium, cujus possessiones infrascripto modo Innocentius III retulit bulla, qua prioratus B. Petri protectione munitus est (2) :

1° decimas videlicet quas assignaverat Fulco in decimario Fanijovis ;

2° Gardelae praedium ab abbate conventuque Sauricini concessum ;

(1) Balme, *op. cit.*, p. 358. Bibl. Nat., Doat, 98, f° 51 v°.

(2) Ripoll, *Bullarium ordinis Praedicatorum*, I, n° 1,

3° terras apud Sauzenchos, Villarium et Fanumjovis sitas, a Simone datas de Monteforti ;

4° terras apud Fanumjovis sitas , a Roberto Malovicino datas ;

5° terras apud Alsonam sitas, a Petro Aragona ejusque fratre datas ;

6° terras apud Podiumviride sitas, a Lamberto de Thureyo datas ;

7° praedium apud Lacan (?) situm, a Petro de Vico (?) datum ;

8° praedium apud Appamias situm , a Guillelmo Clareti datum ;

9° praedium apud Agassens situm , ab Hugone de Lascy datum ;

10° praedium apud Bromium situm , ab Alano de Roucy datum ;

11° censivas in terris apud Palent sitis, a Guidone de Levis datas.

CAPUT III.

QUOMODO MONASTERIUM RES SUAS DEFENDERIT PROTECTIONEMQUE IMPETRAVERIT APOSTOLICAM.

Maxima quidem incrementa, minimo temporis spatio, acceperat monasterium, sed res acquisitas indefesso animo ab aemulis defenderet, causasque diceret arduas oportuit. Primo, litigatum est de ecclesia B. Martini de Limoso, quam suam ipsorum fuisse, antequam haereticorum incursione dissipatae sint res monasterii, et per summam injuriam a Berengario archiepiscopo ablatam, sororibusque Pruliani concessam, ex adverso dicebant abbas et conventus S. Hilarii, ordinis S. Benedicti (1). Quando litem inierint parum liquet, quum de causa prima mentio fiat in compromissi instrumento, anno 1218 subscripto; sed non dubitandum est quin prius lis existeret, forsitan ante 1215. In privilegio enim B. Dominico ab Innocentio papa III, in concilio Lateranensi, con-

(1) Martène et Durand, *Veterum scriptorum amplissima collectio*, t. VI, col. 439. Bernardus Guidonis, *Historia foundationum Conventuum ordinis Praedicatorum*.

cesso, die 8 octobris 1215, quum referantur omnes Pruliani possessiones, non tamen memoratur ecclesia B. Martini, etsi maxima esset et opulentissima rerum prioratus (1). Quam vero de hujusmodi silentio rationem inveniemus nisi, quum tunc temporis sub iudice lis esset, ncluisse pontifex rem habere iudicatam, Pruliani possessionibus ecclesiam litigatam adscribendo?

Ut ut est, compertum habemus, ineunte jam 1218 anno, inceptam fuisse litem, quam, mense martio ejusdem anni, sententia compromissi terminaretur ab episcopo Agathensi, Thedisio, arbitro ab utraque parte accepto. Statutum est Alboinum abbatem, Anselmum priorem, conventumque S. Hilarii in omnium bonorum possessione confirmari, quibus fruerentur, antequam adversus catharos pugnaretur, sed Dominico, S. Romani Tolosani priori, Guillelmo Clareti, Pruliani priori, fratribusque sanctae Praedicationis, sororibusque, et in perpetuum successoribus fore ecclesiam domosque B. Martini de Limoso, hoc duntaxat pacto ut tam ipsi quam ipsorum successores monasterio S. Hilarii in perpetuum censum annum trium modiorum frumenti solvere tenerentur ita ut, censu soluto, quodam modo significaretur dominium eminens monachis esse, perpetuum autem usum monialibus (2).

Quae vero sententia nullum sortita est effectum; nondum enim elapsus erat annus quum, nova exorta

(1) Cf. *supra*, p. 27.

(2) Martène, *op. cit.*, VI, col. 441.

materia quaestionis, ante mensem novembrem 1218, Alboinus abbas et monachi S. Hilarii, ex ecclesia aedificiisque S. Martini expulsis fratribus Praedicatoribus, a Guillelmina de Fanojovis, priorissa, et monialibus Pruliani constitutis, ecclesias et omnes pertinentias violenter invadebant (1); Arnaldusque, Narbonensis archiepiscopus, suffraganeo Bernardo Raimundo, Carcassonensi episcopo, mandabat ut, de istis solemnibus inquisitionibus praehabitis, moniales in possessionem reduceret ecclesiae, si eas a monachis spoliatas esse, constaret. Re enim ipsa, die 13 aprilis 1219 (2), Bernardus, metropolitani nomine, in integram ecclesiae domorumque possessionem mittebat sorores, et restitutionis instrumentum Limosi subscriptum est, praesentibus Alboino abbate, qui omnia aequo ferre animo videbatur, Isarno de Aragona, Carcassonensi archidiacono, episcopum comitante, Isarno de Conchis, Reddensi archidiacono, vices agente Narbonensis archiepiscopi dioecesanis, et quibusdam aliis testibus rogatis.

Maximi sane momenti est hujusmodi instrumentum, ex quo accipimus quanta et apud quos usus sit gratia Pruliani prioratus. Etsi enim protectorem addictissimum amisissent Simonem de Monteforti, in obsidione Tolosana occisum (3), causam tamen vince-

(1) Martène, *ibid.*

(2) *Ibidem.*

(3) Donec mortuus est, benivolum semper monasterio se exhibuit Simon. Quum enim in obsidione Tolosana, die 25^a junii 1218, occideretur, sexto ante mense, die 13 decembris 1217, senescallis Agennensi et Carcassonensi mandabat ut a quocumque invasore bona defende-

bant moniales, favorem praestantibus (mirabile dictu!) antistitibus vita habituque inter se quam maxime discrepantibus, Arnaldo, Narbonensi archiepiscopo, Bernardoque, Carcassonensi episcopo. Nam Arnaldus, quum adhuc in minoribus constitutus, abbas scilicet Cistercii, et in partibus meridiana legationis functus officio, acerrime haereticos insecutus sit, a victoribus cruce signatis sedi impositus est Narbonensi qua detrusus est Berengarius (1). E contrario Bernardus Raimundus de Rupeforti, Carcassonensis episcopus electus, anno 1209, antequam in Occitaniam venirent Francigenae, quum, sicut et metropolitanus Berengarius, maximam haereticae pravitate suspicionem catholicis moveret, e cathedra dejiciebatur, Guidone, abbate Vallis Cernariae in loco ipsius electo (1211), et septimo post anno (1218) (2), cathedrae redditus, denuo paulo post episcopali de-

rent Pruliani : « Nos vobis mandamus et commendamus quatenus (procuretis) defendere et servare domum et bona charissimi nostri fratris Dominici, ac si nostra essent. Datum in obsidione Tolosae, idus decembris M^oCC^oXVII^o. »

(1) Dom Vaissette, *op. cit.*, VI, 379.

(2) Dom Vaissette, *op. cit.*, VI, 575. Ita narrat Bernardum jam e cathedra dejectum, Carcassonensi sedi redditum esse : « Gui, évêque de Carcassonne, partisan zélé de la maison de Montfort, ne survécut pas longtemps à la perte que les Français firent de cette ville, et il mourut le 21 mars suivant (1224). Bernard Raimond de Roquefort, son prédécesseur, qui vivait encore, et qui avait été obligé de se démettre de cet évêché malgré lui, s'en remit alors en possession ; on prétend même qu'il agissait, depuis l'an 1220, comme s'il avait été véritablement évêque de Carcassonne. » Quae omnia corrigenda sunt ; nam, quum constet anno 1218, ut episcopum Carcassonensem, lites composuisse inter moniales et monachos Bernardum de Rupeforti, palam et e mandato Arnaldi metropolitani, cruce signatis Simonique devotissimi, ex eo pro certo habendum est jam anno 1218, Bernardum ab ipsis cruce signatis episcopum habitum esse Carcassonensem.

trudatur officio. Ergo, quum a tam dissimilibus viris defendantur moniales, constat tunc temporis, eas maxima apud omnes gratia frui.

Bernardi sententia non aequo lata animo, S. Hilarii monachi ab episcopo Carcassonensi ad metropolitanum, Narbonensem archiepiscopum, Arnaldum, provocaverunt; qui, quum se Limosum contulisset, ut causam personaliter inquireret, Guillelmumque Clareti priorem, nomine inclusarum, et abbatem Alboinum, nomine conventus B. Hilarii, ad suum tribunal citavisset, examinata causa diligenter, omnibusque « quae pars utraque proposuit, auditis et intellectis, juris ordine observato, facta conclusione juris et facti, praehabito prudentum virorum consilio », in pacificam memoratarum ecclesiae et domorum possessionem restituendas esse moniales decrevit (1), « dictis abbati et conventui monasterii S. Hilarii super praemissis omnibus silentium imponens, die 4^a octobris 1222. Postquam Conradus, cardinalis episcopus Portuensis et apostolicae sedis legatus, donationem ecclesiae B. Martini monialibus confirmavit, mense martio 1223, lis definite terminata videbatur (2).

Alterum tamen arbitrium, die 28 martii 1224, pronuntiatum, refert Bernardus Guidonis, et ex arbitri sententia suspicari licet a Guillelmo Clareti et monasterio Pruliani, ea vice, indutias esse sublatas et monachis S. Hilarii bellum indictum. Guillelmus enim

(1) Quod instrumentum invenitur in Bibl. Nat., collect. Doat, 98, f° 35.

(2) Bibl. Nat., collect. Doat, 98, f° 37.

qui adeo fidus a b. Dominico habitus erat, ut ab eo Pruliani prior constitutus, monialibus praefectus esset, postea ab eo desciverat, monachus effectus in Cisterciensi Bolbonae monasterio, causamque defectionis apud Bernardum Guidonis invenimus infra-scriptam; quia scilicet aegre tulisset aliqua bona de quibus litigaretur, a B. Dominico tradita esse (1). Ex quo quum avidissimus appareat Guillelmus, verisimile est non solum pro bonis monialium legitimis pugnasse Guillelmum Clareti, sed etiam postquam privilegium legati impetraverit, abbatiam S. Hilarii invasisse, ejus res injuste occupando. Non enim solum de ecclesia B. Martini omnibusque de quibus antea lis fuerat, judicaverunt arbitri, sed etiam de ipso s. Hilarii monasterio ejusque pertinentiis quae Alboino abbati et monachis solemniter confirmabantur, omnesque sedabantur causae « quae tam *super monasterio s. Hilarii et membris ejus*, quam super ecclesia de Limoso et decimis ejusdem, tam etiam super omnibus quaestionibus et querelis quae inter partes easdem motae sunt vel moveri possent. » Parte utraque privata ab illis quae indebite sibi vindicabat, Alboinus in monasterii ejusque pertinentiarum, moniales autem in ecclesiae B. Martini de Limoso ejusque decimarum pertinentiarumque possessione in perpetuum conservati sunt. Quae arbitrii sententia, die 27 martii 1224 (2) edicta est ab abbate

(1) Balme, *op. cit.*, p. 159.

(2) Arch. fratrum Praedicatorum Romae, Y, 10, 41. Bibl. Nat., Doat, 98, f° 39.

S. Polycarpi, qui, quum abbatiae ordinis s. Benedicti praeesset, arbiter procul dubio a monachis S. Hilarii electus erat, et ab Isarno de Aragona, archidiacono Carcassonensi, qui, quum antea in possessionem ecclesiae B. Martini Guillelmum Clareti misisset, anno 1209, a monialibus electus erat. Postquam vero arbitrii tenorem vicissim laudaverunt primo Narbonensis archiepiscopus (1), deinde apostolicae Sedis legatus (2) summusque pontifex (3), ecclesia B. Martini monialibus denuo confirmata, die 30 novembris 1229 a legato Romano, cardinali s. Angeli diacono, et paulo post, die 27 aprilis 1231 a Petro Amelii primae sedis Narbonensis praesule, denique a Gregorio papa IX, litteris apostolicis die 25 mai 1241, Laterani datis, compositione approbata, res definite habita est; et pacifice usque ad proximi elapsi saeculi excidia, ecclesiam B. Martini obtinuerunt moniales.

Adeo Pruliano vicina erat ecclesia parochialis Fanojovia ut eam sibi uniri coenobium conatum sit; conataque eo facilius effecerunt moniales, quod B. Dominicus Fanojovis capellanus simul ac Pruliani conditor existeret. Episcopus enim Tolosanus, Fulco, die 25 maii 1214, partem parochialium reddituum concessit inclusis, decimas videlicet et primitias trium aratrorum agrorum trigintaque jugerum vinea-

(1) Bibl. Nat., Doat, 98, f° 42, die 27 aprilis 1231.

(2) Martène, *op. cit.*, VI, col. 441.

(3) Ripoll, *op. cit.*, I, p. 111.

rum (1). Sed mox, exorta causa inter Fulconem et Dominicum, tota parochia in manus devenit monialium. Nam, quum perpetuo catholicae fidei zelo flagraret Fulco, maximoque favore sanctam Praedicationem a Dominico institutam, semper foveret, Dominicum ejusque socios per totam Tolosanam dioecesim Praedicatores Verbi Dei constituerat, ipsisque ad procurandum victum, sextam assignaverat partem omnium in omnibus parochiis exigi solitarum decimarum (mense julio 1215) (2). At postquam compertum habuit majorem esse concessionem ea quam opinatus esset, ipsum paenituit, liteque inter Praedicatores et episcopum inita, ad arbitrum causa delata est, qui omnia praedicta irrita et vacua esse decrevit (3). Sed paulo post, sive ab arbitro provocare litique insistere in animo habuerit Dominicus, sive litigare noluerit Fulco adversus strenuum illum orthodoxae fidei militem qui secum acerrime pugnavisset, Praedicatores et episcopus amicabilem inter se subscripserunt compositionem.

Quum enim, ineunte anno 1221, Romae in monasterio quodam, fortasse Cisterciensi (4), in unum convenissent, Dominicus et Fulco, causam sponte terminaverunt et duodecima post die, 28^a scilicet aprilis 1221 (5),

(1) Balme, *op. cit.*, p. 450. *Gallia christiana*, XIII, p. 247.

(2) *Ibid.*, p. 515. Martène, *op. cit.*, VI, p. 446.

(3) Die 13 septembris 1217. Martène, *op. cit.*, VI, p. 446.

(4) Arch. fratrum Praed. Romae. « Actum in urbe Rome, anno Domini M^oCC^oXXI^o, indictione IX^a, XV kalendas maii, presentibus ad hoc convocatis Aymerico et Petro, monachis Cisterciensis ordinis, et fratre Bertrando, converso ejusdem ordinis. »

(5) *Gallia christiana*, XIII, 248.

compositionis instrumentum laudavit et confirmavit Honorius papa III. Quam Fanojoviam ecclesiam monialibus retrocesserunt Praedicatores; quibus quidem conditionibus quandoque nescimus, quum desideretur donationis carta, sed pro certo habemus haec ante mensem septembrem 1227 conclusa esse, quum eodem mense, cessionem confirmaverit Fulco (1), in ecclesia Fanijovis, sicut in ecclesia S. Juliani de Bromio cathedratico et visitationis jure reservatis (2). Quam denique cessionem confirmatione apostolica munierunt summi pontifices, Gregorius videlicet IX, die 26 aprilis 1231, Innocentius IV 15^a octobris 1250, et Alexander IV 21^a martii 1257 (3).

Omnia igitur secunda monasterio succedebant, sed quo majoribus augebatur incrementis, eo majores movebat invidias et magis ac magis opus erat ut ejus bona quam maxima munirentur tutela. Quapropter, quum in annum 1215 generale Lateranense concilium indixisset Innocentius III, una cum Fulcone, Tolosano episcopo, iter Romam arripuit Dominicus (ineunte augusto) ut a pontifice ordini paene nascenti Praedicatorum confirmationem, Prulianoque protectionem apostolicam impetraret; cujus precibus benigne annuens papa, privilegio die 8 octobris 1215 dato, moniales earumque bona sub B. Petri et sua protectione suscepit (4) monasteriique invasores et

(1) Arch. frat. Praed. Romae, Y, 10, 54.

(2) *Ibid.*, Y, 10, 50.

(3) Potthast, 8726.

(4) Ripoll, *op. cit.*, t. I, n° 1.

molestatores apostolorum vovit indignationi ; et quo melius monasterium ejusque res privilegio munirentur, possessionum nomina apostolicis inseri jussit litteris. Sane, quamvis missa est pontificalis epistola « priori, fratribus et sororibus domus B. Mariae de Pruliano, » nec ibidem B. Dominicus nominatus sit, non est dubium quin ab ipso, in Urbe tunc temporis moras agente, sit impetrata. Quae ad conservandum augendumque monasterium multum erat utilis, maximique momenti. Dum enim adhuc Simonis de Monteforti aut Fulconis favore adjutum, e variis penderet fortunae bellique eventus, auctum videlicet, quum victricibus crucesignatorum armis haeretici pellerentur et spoliarentur, sed in anceps positum quum victis meliores succederent res, sive occideretur Simon de Monteforti, sive a pontifice benigne excepti, mediante Angliae rege, sperarent comites Fuxensis Tolosanisque et Convenarum fore ut sibi omnia in concilio Lateranensi restituerentur (1), tunc temporis, accepto apostolico privilegio, B. Petri munitum tutela, apostolicae firmitatis, ut ita dicam, particeps effectus est conventus.

Quae quidem Innocentii III epistola adeo brevis est et concisa ut eam sinceram integramque aliqui negare possint. Sed hoc feliciter evenit quod, postea Honorius III (2) praedecessoris privilegium confirmatum definiverit et ampliaverit; nam, non solum

(1) Dom Vaissette, *op. cit.*, VI, p. 470-474.

(2) Ripoll, *op. cit.*, t. I, n° 7.

iterum sub B. Petri et sua protectione recipiebat monasterium ejusque bona, bonorum invasores anathematis vinculis innodando, sed etiam in perpetuum sub regula B. Augustini ponebat moniales priorisque regimine sine dolo fratrum unanimo consensu, vel saltem eorum majoris parte eligendi. Etsi B. Petri protectione firmaretur, non tamen dicebatur prioratus « ad Romanam ecclesiam immediate pertinens, in jus et proprietatem B. Petri et Sanctae Romanae ecclesiae consistens » neque unum ex illis erat monasteriis de quibus clare lucideque disseruit Paul Fabre (1). Quum enim a monialibus nullum peteret censum Honorius III, evidenter patebat, prioratum in jus B. Petri non devenisse sed sui semper juris esse. Propterea, a jurisdictione Tolosani episcopi non exemptis (2), sororibus illi omnia praestare incumbebat quae a religiosis personis dioecetano episcopo praestari solebant « *salva... dioecetani episcopi justitia*; » sed rata firmaque habebantur omnia quae inter ipsas ex una, Fulconemque et Berengarium ex altera parte, pacta erant ita ut in parochialibus eccle-

(1) Paul Fabre, *Etude sur le Liber Censuum de l'Eglise romaine*. Thorin, 1892. Cf. caput cui titulus est : *Les églises et monastères offerts à l'Apôtre*, p. 32-115.

(2) Innocentius III ipse decreverat minime ab ordinarii jurisdictione exempta habenda esse pia loca sub B. Petri protectione posita : « Ex parte tua, » respondebat episcopo Ausonensi, « fuit quesitum utrum clerici et laici qui literas protectionis ostendunt, in quibus persone sue, expresso nomine, cum omnibus rebus suis sub apostolica protectione consistere declarantur, a jurisdictione episcopi dioecetani sint exempte. Nos autem respondemus tibi quod per litteras hujusmodi ab episcoporum suorum potestate minime subtrahuntur. » (Greg. IX, decret. V, xxxiii, 18.)

siis B. Juliani de Bromio, B. Martini de Limoso et deinde in ecclesia Fanojovia, capellani ab inclusis eligerentur sed ab ordinariis confirmarentur praesulibus. A dioecesano vero episcopo oleum sanctum, chrisma, consecrationes altarium et ecclesiarum postulare debebant; sed si omnia haec, vexationis causa, ab ordinario negarentur, tam consuetudine quam apostolico privilegio conventui concedebatur potestas alium adeundi episcopum, dummodo orthodoxus esset et catholicus.

Quibus sic statutis, stabilita existebat monasterii fortuna, animoque quieto B. Dominicus Bononiae vita functus est 4^a mensis augusti, anno 1221, monasterio Prulianensi bonis cumulado et protectione firmato apostolica.

Simul ac bonis, personis quoque augebatur conventus. Quum enim, anno 1206, novem tantum sorores recenti inclusae essent monasterio, 18 Pruliani vitam agebant anno 1215 (1); quinimo, ut res gererentur monialium, totaeque piae conversationi et orationibus deditae existerent sorores, juxta sororum aedificia, suum quoque monasterium extruxerant fratres Praedicatorum (2), ut videtur bulla Honorii non sororibus missa, sed « *priori monasterii S. Ma-*

(1) 18 enim moniales memorantur instrumento quo Fulco, Tolosanus episcopus, ipsis assignat ecclesiam S. Juliani de Bromio.

(2) Septem fratres Praedicatorum ibi, anno 1230, commoratos esse pro certo habemus; nam instrumento donationis a Pontio Stephani et uxore Catalana factae (Arch. Atac.) septem subscripserunt fratres; sed multo plures fuisse opinandi sunt, quum septem subscribant « *pro se et pro omnibus aliis fratribus ejusdem domus, pro presentibus atque futuris.* »

rie de Pruliano ejusque fratribus tam presentibus quam futuris. » Quamvis tam magnis jam crevisset incrementis prioratus, in iisdem tamen non perstitit, sed usque ad annum 1340, quo ad summum pervenit divitiarum, pluribus majoribusque donis auctus est.

CAPUT IV.

QUOMODO AB ANNO 1215 USQUE AD 1540, PRULIANUM
MAJORA ACCEPERIT INCREMENTA.

Multa sunt quae ad jus devenerunt conventus ab anno 1215 usque ad 1540, sive ipsi data, sive ab ipso acquisita. Saepenumero enim evenit ut donati se suaeque monialibus traderent, sicut, vivente B. Dominicó, fieri solebat. Etenim, die 30^a martii 1227, « gratis et bona fide, » sua « propria et spontanea voluntate, Guillelmus Grimaud se ipsum monasterio dedit eique perpetuo possidendas tradidit « totam illam terram quam habebat in loco ubi dicitur *a las fontanas*, quam tenebat a predicto monasterio, insuper aliam terram quam habebat in loco ubi dicitur *ad montem Bayo*, quam tenebat a domina Cavaers, et aliam terram quam habebat in loco ubi dicitur *a las planas* (1), quam tenebat a Guillelmo Petro de Pro-lano. » Die 23^a aprilis 1250 (2), Poncius Stephanus ejusque uxor simili donatione se ipsos omniaque sua

(1) Tabul. Atacinum, Prulianensia documenta.

(2) *Ibid.*

sororibus concedebant, iis duntaxat conditionibus ut omnium bonorum spiritualium et temporalium domus Prulianensis participes, « sicut unus de fratribus et una de sororibus » prioratus haberentur. Aliquot post annis, die 9^a novembris 1241 (1), Guillelmus Barravi de Limoso, clericus, se ipsum et corpus suum et omnia bona sua mobilia et immobilia, quae tunc habebat vel in futurum habiturus erat, monasterio tradebat, sed quum sibi fructus reservasset « ad sustentationem corporis, » Limosi, ut antea, vitam agere neque prioratum intrare decreverat. Aliud donationis instrumentum, die 19^a junii 1264, subscripsit Pontius de Villarzello in Reddesio qui, filio tantummodo relictis bonis apud Brugairolas et Villarzellum situs (2), cetera simul ac se ipsum monialibus tradidit. Cujusmodi donationis chartae multae in archivio Prulianensi reperiuntur, magnaue tulerunt monialibus praedia rustica ingentesque copias.

Non solum ut monialium meritorum participes fierent, multi se suaque tradebant, aut testamentis suis prioratum inscribebant, sed etiam ut in monasterii coemeterio sepulturam eligere possent, sperantes fore ut, si in tam pio Deoque accepto loco sepelirentur, beata vita quam citissime gauderent. Propterea sicut et alia monasteria, Prulianum a summo pontifice impetraverat ut in privilegio apostolico expresse diceretur (3) « sepulturam ipsius loci liberam

(1) Tabul. Atacinum, Prulianensia documenta.

(2) *Ibid.* Bibl. Nat., Doat, 98, f^o 123.

(3) Ripoll, *op. cit.*, t. I, n^o 7. De quarta funeralium et mortalagiis

esse, ut eorum devotioni et extreme voluntati qui se illic sepeliri deliberaverint, nisi forte excommunicati vel interdicti essent, nullus obsisteret, » dummodo ecclesiis e quibus mortuorum corpora assumerentur, debita solveretur justitia, quae scilicet *quarta funeralium* vel *mortalagium* nuncuparetur. Ex quo maximi reditus in fratrum sororumque manus devenerunt. Nam, non solum ad funus exsequendum, pecunias exigebant (quum enim ecclesiae parochiali quarta pars funeralium solvi deberet, compertum est tres alias partes monasterio solvi solitas esse, quod in suo ipsius coemeterio corpus assumeret sepeliendum), sed etiam saepius eveniebat ut ampla legata conventui inscriberentur. Quae quidem satis evidenter patent ex aliquot instrumentis in Archivio Prulianensi asservatis. Die enim 6 novembris 1259 (1), Raimunda de Ventajou, uxor militis Frotardi de Penna, ultima sua voluntate archiepiscopali notario Limosi dictata, sepulturam in sororum coemeterio eligebat, quibus summam annuam legabat 7 librarum turonensium. Mense januario 1508, Bernardus Martini fusterius Limosi, postquam se ipsum monasterio tradidit, ut in claustro coenobii vel saltem in ecclesia B. Martini sepulturam obtineret, se soluturum censum annuum

quae in bulla honorii III verbis « justitia ecclesiarum » referuntur, cf. Innocentii III decretum : « privilegiati super jure funerandi, sepelire possunt illos qui apud eos eligunt sepulturam, solvendo tamen canonicam portionem ecclesiae parœciali. Si vero alios sepe- liunt, tenentur restituere quicquid occasione funeris receperunt. » (Greg. IX, decret. III, xxviii, 10).

(1) Atacin. tabularium, Prulianensia monumenta.

dimidiam libram cerae, promittebat (1). In actis quoque visitationis anno 1340 a Petro Guidonis factae, mentio fit de magistro quodam Petro de Cuberiis « sepulto in monasterio, qui fecit heredem monasterium (2). »

Multi alii monasterio peramplas relinquebant pecunias ut ad suam ipsorum levandam animam, die obitus anniversario, sacrificiis Deus placaretur aut ad missas semper celebrandas ibidem capellanus institueretur. Postquam enim, divorum albo adscripto B. Dominico, miracula Pruliani patrata, sororemque, Blancam nomine, protectione Guillelmi Arnardi, haereticae pravitatis inquisitoris, ab haereticis apud Avinionetum, anno 1242, martyrio coronati, gravi morbo sanata esse, fama retulit, in tam pio loco ejusque pertinentiis pro se suisque preces effundi jusserunt permulti magnisque moniales pecuniis cumularunt. In ecclesia B. Martini de Limoso quinque erant capellaniae quibus pro mortuis Deus placaretur : « quinque sacerdotes celebrant in ecclesia illa pro quinque capellaniis deffunctorum et legatis per personas deffunctas (3), » et in instrumento visitationis anno 1340 effectae, Petrus Guidonis aperte dicit ex istis capellaniis multa magnaue dona provenisse : « et monasterium Pruliani pro bonis receptis

(1) *Ibid.* : « Facio me donatum dicto monasterio, eligens sepulturam meam in cimiterio b. Martini vel monasterii Pruliani, et pro sepultura, do monasterio censum annuatim in vita mea dimidiam libram cere, quam laudo super bonis meis. »

(2) Atacin. tabularium. *Visitatio*, fol. 23, col. 4.

(3) Atacin. tabularium. *Visitatio Pruliani*, fol. 7, col. 3.

ab eis, suscepit super se honus istud tenendi pro qualibet istarum unum sacerdotem (1). » Majora etiam ecclesiae Prulianensi legata erant : 500 enim florenos testamento dederat monialibus Guillelmus Petrus, cardinalis episcopus Sabinensis, quibus in perpetuum quotannis quatuor pro defunctis missae celebrarentur; quae pecuniarum summa maximae fuit sororibus utilitati, quum molendinum dictum *en Cerni*, in Atace, juxta Limosum, flumine adverso, positum (2), emere decreverunt. Ex quo evenit ut Pruliani sicut et in ecclesia B. Martini quinque constitutae sint capellaniae defunctorum. Fanijovis quoque, in ecclesia parochiali, alium debuit prioratus instituere sacerdotem qui pro anima Raimundi de Duroforti ejusque propinquorum Deum semper exoraret « juxta id quod reperitur ordinasse ipse Raimundus prefatus in suo ultimo testamento, in quo monasterium instituit heredem, et de qua hereditate habuit (monasterium) et habet adhuc multa bona (5). »

Moniales et ipsae Prulianensi domui multas attulerunt copias. Quum enim a primis conventus incubulis, e nobilissimis familiis ortae essent (4), sic et postea nonnulla instrumenta, inclusarum nominibus firmata, nobis testantur e clarissimis gentibus in Reddesio, Lauraguesioque et in Carcassonensi Saltusque pagis vitam agentibus, multas feminas, tam in-

(1) Atacin, tabularium. *Visitatio Pruliani*, fol. 22, col. 2.

(2) *Ibid.*, fol. 23, col. 3.

(3) *Ibid.*, fol. 23, col. 4.

(4) Balme, *Cartulaire de saint Dominique*, p. 223.

nuptas quam viduas, vitam religiosam sanctamque conversationem Pruliani elegisse. Quum enim die 15 maii 1211, Fulco, Tolosanus episcopus, sororibus tradidit ecclesiam de Bromio, dum viverent, habendam, mentionemque fecit de omnibus, quae tunc in claustro agebant, monialibus, 18 sorores numeravit, inter quas Richardam, dominam de Barbairano (1). In alio quoque instrumento anno 1235 dato (2), et ab omnibus inclusis subscripto, illustrissima scripta sunt nomina, Blanchae scilicet de Aniorto de Redorta, Galhardae de Duroforti, Galhardaeque de Insula; et in authentico chirographo quo, die 9 aprilis 1336, moniales omnes laudaverunt compromissum inter ipsas fratresque Praedicatorum per Tolosanam provinciam constitutos, de provinciali habendo capitulo, subscriptiones exstant quatuor monialium e familia de Duroforti, unius autem e familia de Lordato ortum ducentium (3).

Quae sane, quum e parentibus tam locupletibus quam claris natae essent, dotibus magnis monasterium ditabant. Nam Blanca de Aniorto, etsi atavis edita esset qui acriter pro haeresi adversus cruce-signatos dimicassent, non solum soror, sed etiam Prulianensis priorissa effecta, omnibus suis propriis monasterio relictis, avitarum rerum partem non minimam tradidit monialibus, ut refert Archivii archiepiscopalis Narbonensis index a Roques, jussu

(1) Balme, *op. cit.*, p. 231.

(2) Bibl. Nat., Doat, 98, f° 71.

(3) Abbé Douais, *Les Frères Prêcheurs de Gascogne*, p. 233.

et mandato Claudii de Rébé praesulis conscriptus. Postquam enim de haereditate Raimundi de Aniorto (1) diu litigatum est a Guiraldo de Rupeforti ejusque uxore, Blanca de Aniorto, Petro de Durbano ejusque uxore, Guillelma de Aniorto, Guillelmoque de Sautone, ex una parte; et ex altera, Bertrandi de Aniorto filiis adhuc pupillis sub matris Missae tutela positis, et Blanca priorissa, ab Arnaldo Seguerii priore procurata, tandem de controversia infrascripto modo compromissum est (2) :

« Ledit prieur et ladite Misse quittaient audit Guiraud de Roquefort et Guillaume de Sauton tout le droit qu'ils pouvaient avoir et leur était advenu par la succession dudit feu Raymond d'Aniort, sur le lieu de Sauzils, excepté le moulin de Sauzils, assis sur la rivière d'Aude, comme aussi tout ce que par la succession dudit Raymond d'Aniort, ils avaient au terroir d'Artigues et aux lieux de Tourreilles et de Planvilla, avec cette condition que les compositions jadis faites entre ledit prieur, ladite dame Misse, Raimond de Belpech, Pierre Roger d'Aniort et sa femme demeureraient en leur force; — quittaient aussi par même moyen auxdits de Roquefort et Sauton la censive ou pension de certaines terres que ledit Raimond d'Aniort avait aux lieux de Leuc et de Preixan ;

Et lesdits Guiraud de Roquefort et Guillaume Sau-

(1) De quo viro, cf. dom Vaissette, *op. cit.*, t. VIII, col. 788, 1062, 1065, 1135, 1141, 1193, 1194, 1263, 1421.

(2) Biblioth. Narbonensis municipii, *Inventaire des Archives de l'archevêché*, t. III, p. 332.

ton, tant pour eux et au nom que dessus, quittaient auxdits prieur et dame Misse tout ce que ledit Raimond d'Aniort avait audit moulin de Sauzils, comme aussi quittaient à ladite Misse tout ce qu'ils avaient au lieu de Belcaire et bastide de Belvis, en la terre d'Alion et en la terre de Sault, exceptés les lieux de Gebetz et Galinagre, et par même moyen, quittaient audit prieur de Prouille tout ce qu'ils avaient auxdits lieux de Gebetz et Galinagre et en la leude de Quillan, au moyen de la succession dudit Raimond d'Aniort, avec toutes sortes de droits seigneuriaux, avec cette convention que le rachat de la bastide de Belvis, engagée au sieur Guillaume de Marsan, chevalier, se ferait à frais communs entre parties, avec cette faculté réciproque aux parties de pouvoir prendre du bois et faire paître le bétail. »

Quae vero infrascripto prospectu complecti possunt :

- | | |
|---|---|
| 1° Guiraldo de Rupeforti et Guillelmo Sauton. | — Sauzils, Artigues, Tourreilles, Planvillla, censiva apud Leuc et Preixanum. |
| 2° Pruliano et dominae Missae in indiviso. | — molendinum de Sauzils in Atace. |
| 3° dominae Missae. | — Belcaire et Belvis. |
| 4° Pruliano. | — Gebetz, Galinagre, leuda Quilhani. |
| 5° omnibus in communi. | — pascua et ligna apud Belvis. |

Cujus litis processum enarrare ad rem non pertinet, sed operae pretium est pensare quanta fuerint bona sic monasterio assignata. Aliqua quidem in Reddesio superiori, terras videlicet apud Podium viride sitas et a Lamberto de Thureyo traditas, jam habebat monasterium, priusquam haereditate ditaretur gentis de Aniorto, sed postquam lis terminatus est, magna latifundia per Reddesium superius totumque pagum Saltus monialium juris facta sunt : in jugis enim quae ab arduis montibus, Quilhano castro pendentibus, usque ad Bellicadrum late porriguntur, patent silvae de Gebetz, quae ab anno 1266, partitae exstiterunt inter sorores Prulianenses et archiepiscopum Narbonensem, terrae de Galinagra bastidaque de Belvis quae monialibus et genti de Aniorto communis erat; et non longe ab Atacis superiori decursu, montibus subiciebantur molendinum de Sauzils leudaque Quilhani, quae quoque juris monasterii effecta erant. Aliquot post annis, alia quaedam puella e clarissima gente originem ducens, Ermessinda de Loredato, monialis Pruliani effecta, die 16 septembris 1281, conventui avitum feudum Genebrel (1) conventui tradidit possidendum.

Saepenumero quoque evenit ut dotem monasterio ferrent quae Pruliani Deo se voverent. Quum enim Dias monasterium ingressa est, ejus frater, Jacobus Alzerii de Planha, Lauraci archipresbyter, ejusque gener, R. Siguerii, « volentes relevare dictum monas-

(1) Atacin. tabular., documenta Prulianensia.

terium a gravamine et expensis, » de bonis dictae Dias, dotalicio nomine, Pruliano assignaverunt, die 29 septembris 1285, centum solidos turonensium censuales, solvendos quotannis in festo Purificationis B. Mariae Virginis, procuratori monasterii « qui distribuat et solvat de licentia prioris dictae Dias, dum vixerit, dictos centum solidos turonensium, ut nota et vitium proprietatis vitetur, ex integro in suis necessitatibus et usibus necessarios (1). » Quibus vero solidis, mortua Dias, aliae moniales, dotantibus affines, uti debebant. Utrum vero mos hic fuerit, exeunte XIII saeculo, in conventu Pruliani, necne, dubium est, quum praedictum dotis instrumentum hujusmodi solum in Prulianensi archivio inveniatur.

Muneribus tamen benefactorum praesertim, sicut vivente Dominico, ita et semper auctum est monasterium, praeterquam quod, primo a solis prope crucesignatis ditatum, postea ab omnibus tam Francigenarum advenarum quam priscorum incolarum nepotibus, bonis cumulatum est, non solum a dominis de Monteforti aut de Levis, sed etiam a gente de Duroforti fundos censivasque accipiendo.

Quum eos non fugerit Simonem de Monteforti maxima consuetudine cum B. Dominico conjunctum esse, Simonis nepotes eadem protectione monasterium Prulianense foverunt. Non enim solum conventus Praedicatorum (2) Castrensis a Philippo de Monteforti

(1) Atacin. tabular., documenta Prulianensia.

(2) Martène, *Veterum scriptorum amplissima collectio*, t. VI, p. 485 et seqq.

aedificiis primisque copiis et ecclesia B. Vincentii donatus est, sed etiam Prulianum in quo degebant « primogenitae b. Dominici filiae (1). » A Johanne quoque de Monteforti, Vindocinensi comite, emptionis vel donationis titulo, emptiones donationesque confirmantibus et laudantibus Eleonora de Monteforti, comitissa Vindocinensi, uxore, mense martio 1295, et die 3^a junii ejusdem anni, Johanne de Monteforti, comite Squillacii et Montiscaveosi in regno Siciliae, ejusdem Vindocinensis comitis fratre (2), ita magnos acquisiverunt fundos, ut, anno 1540, bona Fontazelis sita grangiolum constituerent, grangiae Fenoleti unitam, grangiamque propriam haberent fundi apud Bezolam siti.

Antecessoris Fulconis exempla aemulantes, Tolosani praesules eo majori favore Prulianum foverunt, quod ex ipsis nonnulli Dominicanae militiae nomen dederant. Raimundus enim de Felgario, ordinis Praedicatorum, episcopus Tolosanus, agros in quibus stabant aedificia conventus, longe lateque continuavit, non solum decimas primitiasque Gratalauzae, Serrae, Radel et Tonnens, die 8^a octobris 1259, sororibus priorique Raimundo Catalani conferendo (3), sed etiam, die 3^a januarii 1247, ecclesiam B. Martini

(1) Sic nominantur a Bernardo Guidonis, quum ipsis suam monasterii Prulianensis historiam dedicavit. « Sororibus ancillis, *primogenitis filiabus S. Dominici*, sorori Albertine priorisse, necnon aliis sororibus Pruliani, frater Bernardus Guidonis, Domini Nostri Jesu Christi servulorum minimus... » Combefort, *Hist. de Prouille*, p. 63.

(2) Atacin. tabular., Prulianensia monumenta.

(3) Quod instrumentum a Johanne de Rechac publici juris est factus.

« juxta ipsarum domum sitam (1). » Quum enim, anno 1212, ab Ermessinda Fabri terram « sub ecclesia B. Martini (2) » sitam emisset B. Dominicus, aliaque vicina bona juxta « fontem S. Martini » acquisivisset Guillelmus Clareti prior, multaque ipse Raimundus contulisset in decimariis Serrae, Fontazellorum, Radel et Tonnens, ecclesiae B. Martini finitimis, Dominici suumque ipsius opus perfecerat Raimundus de Felgario, quum ecclesiam B. Martini monialibus tradiderat. Cujusmodi erga moniales studii alia praebuit indicia, anno 1265, quum, majore semper effecto sororum numero, et timente priorissa ne eo magis egenum fieret monasterium, quo pluribus abundaret inclusis, rursus instrumento donationis Prulliani, die S. Marci festo 1265 (3) subscripto, ecclesiam concessit S. Saturnini de Insula (4), nullis in ecclesia praedicta sibi reservatis juribus tam spiritualibus quam temporalibus, relictis etiam censibus mensae episcopali solvi solitis.

Accrescente tamen magis ac magis inclusarum numero, nec ad levandam monasterii inopiam, sufficientibus illis quae jam a benefactoribus erant tradita, Bertrandus, Tolosanae sedis praesul, regale munus praebuit, conventui tradendo latifundium quo majora et feraciora pauca in Lauraguesio existebant, eccle-

(1) Bibl. Nat., Doat, 98, f° 83.

(2) Balme, *op. cit.*, p. 330.

(3) Bibl. Nat., Doat, 98, f° 129.

(4) Quem locum *la Guille* nominat Combefort; idem esse videtur ac locus *La Hille* nuncupatus et in locorum militari tabula inter Fanumjovis et Vilarium positus.

siam videlicet de Venastvilla ipsique unitam capellam de Villafranca (1), cum decimis, primitiis, oblationibus, omnibusque pertinentiis, mandavitque magistro Jordano Cogardani rectori ut moniales in possessionem bonorum ipsis concessorum, mitteret; quae postea a Benedicto papa XI (2), bulla 15^a martii 1304 data, confirmata sunt. Postquam vero alia praedia circum ecclesiam capellamque praedictas acquisivit Prulianum, longe lateque adeo patuit latifundium ut grangiam ibidem extruere opus fuerit, ut et Limosi, Bezolae et Sauzenchis.

Nulla alia post ea monialibus largiti sunt Tolosani episcopi sive quia sublevata est conventus egestas, sive potius quia, exeunte saeculo XIII, divisa Tolosana dioecesi (3), ab episcopi ditione ablatum est Prulianum jurisdictionique Appamiensis et deinde S. Papuli episcoporum subjectum.

Cum archiepiscopatu Narbonensi quoque multa fuerunt communia conventui Prulianensi. Non enim solum in dioecesi Narbonensi sita erat ecclesia B. Martini de Limoso, qua nulla major fuit possessio monialium, sed etiam coenobii aedificia, etsi primo Tolosano, deinde Appamiensi, denique S. Papuli episcopis subjecta sunt, dioecesi tamen Narbonensi adeo finitima erant quod e proximis Pruliano locis, quamvis alia alia uno fere tenore continuarent, Fanumjovis tamen Lauraguesio Tolosano includebatur, Fenoletum

(1) *Codex Prulianensis*, fol. 121.

(2) Arch. Vatic., Reg. 57, f. 133.

(3) Dom Vaissette, *op. cit.*, t. IX, p. 187.

autem Mazerolae, Gramazia, Ferrandum et Onosium Reddesio Narbonensi (1); ex quo apparet paucis millibus passuum juxta Prulianum finitimas fuisse Tolosanam et Narbonensem dioeceses. Adde quod a primis incunabilis conventus, regali Limosinae ecclesiae munere a Berengario, Narbonensi archiepiscopo, ornatum, necnon ab ejusdem in archiepiscopali cathedra successoribus protectum erat monasterium, quum de possessione Limosi cum monialibus litigarent S. Hilarii monachi.

Quum parum finita essent jura quae moniales et archiepiscopi Narbonenses Limosi et in Reddesio usurparent, inde factum est ut plurimae lites inter conventum mensamque archiepiscopalem exortae sint. Prima, anno 1259, contentione habita, Petrus Amelii antistes et Guillelmus Catalani prior, sororum nomine, in Carcassonensem episcopum compromise-runt (2) « pour raison de la notarie ou tabellionat de la ville de Limoux et certains droits de dixme en divers lieux que ledit archevesque disait ledit prieur lui avoir usurpé. » Perincommode accidit quod instrumentum compromissi nunc deperditum, tunc autem

(1) In indice ecclesiarum parochialium sub ditione archiepiscopi Narbonensis positarum, a Guillelmo Guilaberto, apostolico commissario et collectore, confectos invenimus.

archipresbiteratus Reddesii inferioris,

rector de Onosio

• • • • •

rector de Gramazia

vicarius de Fontazellis et Fenolheto.

(Arch. Vatic., *Collectorie* 150.)

(2) Bibl. municipii Narbonensis. Index Roques, III, 324.

in archiepiscopali tabulario asservatum, nimis breviter et concise collegit Roques, quum neque referat de quibus decimariis contenderetur neque quomodo terminata sit de tabellionatu controversia ; sed suspicari possumus conventum, ratione juris patronatus quod in ecclesia Limosi parochiali exerceret, archiepiscopum autem ratione ejus quo frueretur dioecesani officii, excluso altero, tabellionatum affectavisse. Quae quidem controversia, anno 1259, ab arbitro Carcassonensi episcopo terminata est, sed quomodo nimis concisus tacet Roques.

Sed de majoribus, anno 1252, concordatum est. Nam, solemnī stipulatione cujus instrumentum in Archivio Narbonensis archiepiscopalis curiae asservabatur, abbas et conventus monasterii Electensis, ordinis S. Benedicti, tradiderant (1) : « à la prieurisse et à tout le couvent des religieuses du monastère de Notre-Dame de Prouillan, diocèse de Tholozè, tout ce que ledit monastère avait et possédait au lieu dict S. Pierre de Flassan, en l'archidiaconé du Razès, diocèse de Narbonne, en la rivière d'Aude, qui consistait en un molin avec ses canaux et payssières pour, par ledit monastère jouir perpetuellement, avec pouvoir et faculté d'edifier et construire depuis le molin de Flassan jusque au molin d'Udalger, en quel endroit que bon sembleroit, un cazal de molin, et en icelluy cazal, y mettre tel nombre de muelles, bladières et drapières, que bon lui sembleroit, dans

(1) Bibl. municipii Narbonensis. Index Roques, III, 324.

laquelle etendue ou limite aucun autre n'y pourroit construire ni faire aucune difve qui prejudiciat à ce don... et ce, toutefois, sous rétion audict monastère d'Allet de la seigneurie directe, lodz et foriscapes et de la censive annuelle et perpetuelle de douze cestiers froment et douze cestiers orge renduz d'après la ville de Limoux, mesure dudit Limoux. »

Maximi sane pretii erant quae a monasterio Electensi monialium juris fiebant; nam, non solum Atacis alluvione concreta fluminisque limo fecunda per plana pertinebat Flassiani terra a Limosi moenibus usque ad sacellum B. Mariae de Marcelhano, sed etiam, aqua fluvii jam deducta, et exstructa *paxeria*, omnia in promptu erant ut molendinum *draperium blade-riumque* jam existens, augeretur, aliaque nova crearentur. Quum tamen de uno tantum molendino mentionem faciat Petrus Guidonis in actis Visitationis, molendinum videlicet S. Petri de Flassiano, quod nostris adhuc temporibus exstat, et in militari locorum tabula memoratur, moniales constat nullum aliud aedificasse molendinum sed potius molendinum jam exstructum ampliasset; trium enim molendinorum quae prioratus in finibus Limosi habebant, maximum fuisse magnaue frumenti et hordei vectigalia (1) sororibus tulisse dictum est molendinum S. Petri. Quae vero ibidem sibi reservaverant, nudum dominium, annum censum, omniaque jura, Electenses monachi archiepiscopo Narbonensi tradiderunt, in-

(1) Atacin, tabularium. *Visitatio Pruliani*, fol. 8, col. 2.

strumento 3^o nonas junii 1252 subscripto, quo Electensis abbas, ex una parte, archiepiscopo condonabat (1) « le droit de seigneurie, domination, juridiction, supériorité et censive que ledict abbé et son monastère d'Allet avoient et possédoient au monastère de S. Pierre de Flassan, rivière, payssières et appartenances d'icelluy, » et ex altera, archiepiscopus abbati conventuique assignabat censum annum 42 sextariorum hordei in decimario Loupiani perpetuo percipiendorum. Quibus pactis a monachis Electensibus et canonicis S. Justi cathedralis ecclesiae Narbonensis, laudatis et confirmatis, archiepiscopo Narbonensi censum solvere incumbibat monialibus, qui prius Electensi monasterio solvi solebat. Sed omnia ista jura acquisiverat archiepiscopus non ut ipsis perpetuo frueretur, sed quo facilius litem cum sororibus Prulianensibus initam, componeret, ita ut, quae die 3^a junii a monachis accepisset Electensibus, 22^a junii ejusdem anni, monasterio tradiderit Prulianensi.

Quum enim, ex una parte, a Raimundo de Felgario, episcopo Tolosano, die 8^a octobris 1259, accepisset conventus decimas et primitias in parrochiis Gratalauzae, Serrae, Radel et Tonnens, e quibus Serra et Tonnens archiepiscopo Narbonensi subjectae essent; et ex altera, dioecesi Narbonensi includerentur Fontazelli (2), Fenoletum, Cassinholae ecclesiaeque

(1) Bibl. Narbonensis municipii. Index Roques, III, 326.

(2) Cf. superius, p. 71.

B. Martini de Limoso in Reddesio, quae Prulianensis essent monasterii, quid mirum, si, implicatis negotiis rebusque, inter sorores et archiepiscopum controversiae litesque sint exortae? Quae quum accidissent, anno 1252, in arbitros utraque pars compromisit, Petrum de Poalheriis, canonicum et archipresbyterum Narbonensem, nomine Guillelmi Maurini archiepiscopi, et Petrum Durandi, ordinis Praedicatorum, nomine Raimundi Catalani prioris, Galhardae priorissae omniumque sororum, hoc etiam adjecto quod qui arbitrorum sententiam acceptare recusaret, mulctam centum marcarum argenti reciperet.

Edicta sententia die 22^a junii 1252 (1), in aedibus archiepiscopalibus, praesentibus Guiraldo, sacrista minori abbatiae S. Pauli Narbonensis, Petro de Villalonga et Petro de Ferralibus jurisperitis, necnon Guillelmo de Vedilhano, Oviliani capellano, et fratre Praedicatore Guillelmo de Mezino, decretum est ex una parte, pleno jure archiepiscopum habiturum esse ecclesias et decimaria Tonnens, Serrae, Gratalauzae et Cassinholarum, quorum territoria a decimariis Pruliani et Fanijovis precise definirentur, sed ex altera, loco decimarum sibi a Raimundo de Felgario datarum et a se ipsis archiepiscopo Narbonensi traditarum, in possessione a se acquisite in Reddesio et Limosi et nominatim hereditatum Guillelmi Barravi et Guillelmi de Duroforti, ecclesiae B. Mar-

(1) Bibl. Nat., Doat, 98, f° 95. Bibl. municipii Narbonensis. Index Roques, III, p. 327.

tini de Limoso ejusque decimarum, oblationum, primitiarum simul ac territorii Taxensis, et in perpetuo usu molendini B. Petri de Flassiano ejusque paxeriae et territorii, salvis tamen censibus sextariorum hordei et frumenti qui prius Electensi monasterio soluti, archiepiscopo solvi deberent, moniales Pruliani ab eodem archiepiscopo confirmatum iri (1).

De Fenoleto et Fontazellis, anno 1278, concordaverunt archiepiscopus Narbonensis sororesque Prulianenses. Quum enim, die 9^a februarii 1212 (2), B. Dominico inclusisque dedissent castrum Fenoleti, cum juribus et pertinentiis fratres Raynerius et Udalgue-rius, a principio, Fenoleti Limosique ratione, Narbonensi dioecesi adscriptus est Prulianensis prioratus (3). Insequentibus autem annis, grangia ibidem creata, adeo accreverunt possessiones Fenoleti et Fontazellis sitae, ut anno 1278 (4), Petrus Maurini, archiepiscopus Narbonensis, statuerit ut, vita functo rectore Arnaldo Aycii, capellae S. Andreae de Fontazellis et S. Martini de Fenoleto, cum decimis, primitiis, oblationibus omnibusque parochialibus juribus in manus devenirent priorissae Prulianensis, quae fructus dictarum ecclesiarum perciperet, vicariumque perpetuum, instituendum antistiti praesentatum, ibidem tenere deberet. Quae, rectore mortuo, executioni man-

(1) Etenim, die 30 junii insequenti, solemnibus instrumentis confirmavit archiepiscopus praedecessorum acta quibus ecclesia B. Martini monialibus erat tradita. Cf. Bibl. Nat., Doat, 98, f^o 43 v^o.

(2) Balme, *op. cit.*, p. 277.

(3) Arch. Vatic., *Collectorie* 150.

(4) Bibl. Nat., Cod. Gall. 8671, f^o 122.

data esse, evidenter demonstrant visitationis acta, anno 1540 factae, quae inter impensas grangiae Fenoleti referunt quae ad victum vicarii perpetui ecclesiae de Fontazellis (1) erant necessaria, et index in Narbonensi dioecesi sitarum ecclesiarum a Guillelmo Guilaberti, apostolicae camerae collectore, scriptus, in quo praedictae ecclesiae non rector archiepiscopo immediate subjectus, memoratur, sed *vicarius perpetuus* jure patronatus creatus (2).

Quamvis hanc donationem asserat se fecisse Petrus Maurini « in remissionem praedecessorum et suorum peccaminum, gratis et spontanea voluntate, » tamen ex indice archiepiscopalis tabularii constat non ita *puram* fuisse *eleemosinam*. Eodem enim anno 1278, quo memoratae ecclesiae conventui tradebantur, adscribit Roques : « un acte de 1278 par lequel les religieuses du couvent de Prouille, diocèse de Thoulouze, au nombre de 73 religieuses, cédèrent, donnèrent et résignèrent, au sieur archevesque de Narbonne, tous les droits qu'elles avoient par titre de fief honorable, aux lieux et terroirs de Gebetz et de Galinagre, assis en la terre de Sault. »

Nam, nonnulla, inter quae erant terra Galinagra silvaque Gebetz, in pago Saltus sitae, prioratui Prulianensi assignata esse, divisio bonis gentis de Aniorto avitis, supra explanavimus, sed, quum in arduis montibus et longinquis plagis ponerentur,

(1) Arch. Atacin. *Visitatio Pruliani*, f° 7, col. 1.

(2) Arch. Vatic., *Collectorie* 150. « *Vicarius* de Fontazellis et F'enoletto. »

quippe quae quadraginta millibus passuum a Limosina domo, omnium prioratus possessionum sibi proxima, distarent, Pruliano minimae erant utilitati. Vice versa, maxima patrimonia in superiori Atacis valle, Reddesio superiori, necnon pago Saltus habebat archiepiscopus, quum sibi immediate subjecta essent castra Fani, Campanhani, S. Ferreoli, Brenaci, Ginholiorum, Quilhani, S. Martini in Valle, Coudonhs, Aniorti silvarumque major pars Gebetz et Galinagrae (1). Quae omnia Quilhano circumposita, a Quilhani castellano, archiepiscopi nomine, regebantur. Propterea, ex quo, divisis gentis de Aniorto bonis, moniales terras silvasque acceperant, in Saltu patrimonio archiepiscopali conclusas, nil antiquius habuerant archiepiscopi, et praecipue Petrus Maurini, quam ut, acquisitis quae essent Pruliani, terris, patrimonia continuarentur. Non igitur mirum est libenti animo moniales mutavisse cum proximis Fenoleti et Fontazellorum terris silvas longinquas quas archiepiscopus Narbonensis inhiaret. Mutationis ergo potius quam merae donationis dicenda est charta qua Narbonensis archiepiscopus, quo majora ipsius in montibus bona longe lateque paterent, sororibus terras capellasque in Reddesio inferiori, anno 1278, tradidit.

Quae quum ita sint statuta, non jam turbata videtur concordia inter archiepiscopum et moniales; in-

(1) Arch. Vatic., *Collectorie*, Codex chartaceus cui titulus est *de Quilhano*.

dicium habemus pontificalis epistola, Avenione die 1^a julii 1521 data (1), qua Johannes papa XXII, Tolosanum et Narbonensem archiepiscopos et S. Papuli episcopum, ab anno 1517 Pruliani dioecesanum, privilegiorum monasterii elegit conservatores; nullaque postea de discordia mentio in actis visitationis (2) reperitur.

Ex omnibus gentibus quae, duce Simone de Monteforti, in comitatum Tolosanum migraverunt, bonisque Prulianense monasterium cumulaverunt, eminuit gens Mirapiscensium, quippe quae etsi gentilitii archivii custos testatur: « Que les archives de la maison de Lévis, conservées au château de Lérans, ne contiennent aucun texte spécial relatif au couvent de Prouille, à la fondation duquel les Lévis, et surtout Guy de Lévis, compagnon et lieutenant de Simon de Montfort, ont contribué...; que dans l'inventaire des archives du château de La Garde, principal château des Lévis-Mirepoix, avant la Révolution, il n'y a rien à ce sujet », multa tamen sororibus largita esse instrumentis a Doat in unum redactis, nobis comprobetur. Omnium fere familiarum cruce-signatorum quae in Occitaniae partibus, haereticis debellatis, sedes collocaverant, ditissima et potentissima existit familia de Levis, quae non solum a Simone Mirapiscensem pagum aliaque quamplurima in Lauraguesio assecuta est, sed etiam tot et tanta ex haereditate Lau-

(1) Ripoll, *op. cit.*, t. II, p. 223.

(2) Atacin. tabular. *Visitatio Pruliani*.

tricensium obtinuit ut, circa annum 1270, ingentibus copiis magnaue potentia valeret Guido III de Levis, Mirapiscensis marescallus (1).

Ad instar avi Guidonis I qui B. Dominico prima ministrando subsidia, nascenti subvenerat prioratui (2), instrumento donationis, die 15 octobris 1269, subscripto, suoque ipsius et uxoris Isabellae sigillis munito (3), tradidit Arnaldo Seguerii priori, priorissae et monialium procuratori, censivam octo modiorum hordei « assignatam apud bastidam novam de Linayrollis et ejusdem pertinentias universas, » inclusa illa quam prius pro patris suorumque animabus constituerat censiva duorum modiorum frumenti, alteram censivam duorum modiorum hordei, pro dotibus Isabellae et Jaquelineae, propin quarum suarum necnon in monasterio monialium, quam sibi ab hominibus Vilarii solutam, Pruliano largitus est, denique, die 29^a octobris 1276, aliam censivam 20 sextariorum hordei et unius gallinae quam sibi ab hominibus de Rascos solutam, « in puram eleemosynam » monasterio dono dedit (4).

Idem erga Prulianum studium a dominis de Levis saeculo XIV, servatum esse, satis demonstrant litterae amortizationis jussu Philippi VI, regis Francorum, Tolosae scriptae et Johanni de Levis concessae. Qui quum, anno 1329 ab eodem impetravisset rege

(1) Dom Vaissette, *op. cit.*, t. VI, p. 893 et 905.

(2) Cf. supra, p. 44.

(3) Bibl. Nat., Doat, 98, f^o 145.

(4) *Ibid.*, f^o 167.

ut sine financia centum libras censuales piis locis distribuere valeret, conventui Prulianensi centum libratas terrae elargitus est, 12^a decembris 1538 (1). Quum vero adeo multae essent terrae quibus assignarentur census, quod difficulter dinumerarentur, sat erit referre terras in finibus Lauraci, Montisclari, Villaenovae Comitalis, Vallis Rufforum, Camprat sitas, censum annum 13 librarum, 7 solidorum, 4 denariorum turonensium attulisse, sed plus quam 396 libr. 19 sol. tur. aestimatas esse. Quibus si foriscapia includantur, constat censum annum 15 librarum, 5 denariorum turonensium a Johanne de Levis monasterio traditum esse (2).

Domini et ipsi de Vicinis benivolos se erga Prulianum exhibuerunt, qui quum in comitatum Tolosanum, cum exercitu crucesignatorum devenissent, ita magnis haereticorum spoliis a Simone de Monteforti ornati erant, ut, anno 1234, quo nomine Adami de Miliaco, regis locum tenentis (3), Odo Cocus miles, assignationes conscripserit, Petrus de Vicinis magna multaque in Reddesio possidere videretur, castra sci-

(1) Atacin. tabul., Monumenta Prulianensia.

(2) *Ibid.* : « ...ascendunt, ad 40 solidos turonensium pro cartone, 13 libras, 7 solidos, 4 denarios turonensium annui redditus.

» Summa proprietatum pro quibus dicti census redduntur, 396 lib. 19 sol. tur., quorum foriscapia, computando duodecimam partem pro foriscapiis, valent ad 1 denarium censualem pro 20 denariis dicte duodecime partis 33 sol., 1 den. annui redditus.

» Summa totius dicti redditus per dictum dominum Mirapiscensem acquisiti 15 lib. 4 den. tur. Que predicta *prefatus dominus dictis religiosus de Pruliano helemosinavit.* »

(3) *Bibl. Nat., Registrum curiae*, lat. 9996. Dom Vaissette, *op. cit.*, VIII, 944.

licet Reddas, Caderonam, Couizanum, Bugaragium, Villarzellum, Querium de Malet, Montemferrandum, Constaussanum, Sougranhas, Lucum, Bellumcastrum, Albezunum, Festas, Couffouluchos, dominiumque Limosi in quo 520 libras, 17 solidos turonensium quotannis perciperet. Sed postea multa alia acquisivit, postquam senescalli Tolosani vel Carcassonnensis et regii inquisitoris partibus est functus (1). Quapropter, quum ad Flandros debellandos subsidiaque exigenda, Philippus IV bona mobilia et immobilia omnia aestimari mandavit, non minoribus quam Mirapiscenses ornati copiis inventi sunt domini de Vicinis, quippe quorum Guillelmus, Limosi dominus, 2,000 libras turonensium, Petrus, dominus Reddarum, 500 libras, Egidius, dominus Arcarum, 500 libras in suis ipsorum terris quotannis perciperent (2). Quum autem ipsorum terrae terris Prulianensibus essent in diversis locis, apud Limosum, vel Villarzellum, vel alibi finitimae, non est mirum quod maxima necessitate cum sororibus usus, monialibus legavit Petrus de Vicinis centum solidos censuales, in leuda Limosi percipiendos, ad celebranda pro anima sua piacula, emendaque sororibus vela omniaque ad victum necessaria; quae omnia executioni mandavit Johanna de Levis, Petro orba, instrumento Limosi dato die 28^a novembris 1268 (3). Guillelmum quoque de Vicinis, Petri filium, conventui censivas tradidisse

(1) Dom Vaissette, *op. cit.*, t. VIII, p. 1283, 1374 et 1495.

(2) *Ibid.*, t. IX, p. 268.

(3) Bibl. Nat., Doat, 98, f^o 139.

aliaque jura, hortorum Limosi sitorum ratione persolvenda, ex instrumentis constat (1).

Non solum e Francia gentes ortae, sed etiam, quamvis moniales et ipsae falditorum spoliis divites sint effectae, priscae in Occitania genitae familiae monasterio faverunt, sive de omnibus istis aliter ac nos senserint B. Ludovici aequales, et ipsi qui laederentur, non eadem ac nos lance pensitarent crucesignatorum facinora, sive, concordia apud Meldos pacta, meridianisque subjectis populis, animi, sicut et bella, pacati sint, nullumque extiterit discrimen victorum et debellatorum. Francigenarum et Occitanorum. De quibus documento est gens de Duroforti.

Multa sane et aspera a crucesignatis perpessa est; etenim, anno 1211, Guillelmus de Duroforti, haereticae pravitatis crimine, omnibus suis bonis Fanijovis denudatus est, quae Pruliano a Simone tradita sunt; Fays quoque, domina de Duroforti, ejusque filii Sicardus et Petrus de Insula, quum haeticorum doctrinis implicarentur, avitis rebus apud Villamsisclam sitis, spoliati sunt, quae in manus Guillelmi del Essart monialiumque Prulianiensium devenerunt (2); omnes denique domini de Duroforti in eo fuerunt ut in voragine sorberentur quo gentes de Festis et de Anioro cum suis omnibus sint submersae. Non tamen omnino spoliati domini de Duroforti putandi sunt, quum, anno 1240, inter opulentissi-

(1) Bibl. Nat., Doat, 98, f° 157.

(2) Cf. supra, p. 37.

mas Tolosani comitatus familias censerentur et prioratum Prulianensem a B. Dominico conditum et a Simone protectum, donis suis cumularent. Nam domina Cavaers, Fanijovis castellana, e familia de Duroforti oriunda, quum nullos filios post se relinqueret heredes, quo magis aetate provecta est, eo pluribus donis prosecuta est cognatum nepotesque de Castro Verduno dominos, quibus, die 27^a martii 1234 (1), bonorum majorem tradidit partem, Raimundum VII Tolosanum comitem, cui, mense julio 1246 (2), dominium Fanijovis fere totum dedit, denique Prulianum, quod diversis vicibus, suis exornavit muneribus; quippe quae non solum, mense februario 1212, Guillelmo Clareti, priori monasterii, monialiumque procuratori, motam Prulianensem et molendinum venti ibidem exstructum, pro annuo censu duarum gallinarum in die Natalis Domini solvendo et acapto quinque solidorum turonensium tradiderit (3), sed etiam, die 4^a julii 1243 (4), priori Raimundo Catalani condaminam largita sit in loco dicto *ad ortos veteres*, sitam, cum omnibus juribus et censibus ratione hortorum terrarumque debitis, « ut de cetero haberent et pacifice in perpetuum possiderent totam predictam condaminam et universum jus suum et dominium terrarum predictarum, quas *li Babos et li Bigordanas* in predicto loco tenent; » et quando certa

(1) Arch. Nat., J, 323, n° 74 et 76.

(2) *Ibid.*, J, 323, n° 84; JJ, 19. *Cartularium Raymundi*, VII, f° 71.

(3) Atacin. tabularium, Prulianensia monumenta.

(4) *Ibidem*.

bona Raimundo VII tradiderit, hoc stabilierit ut Raimundus monialibus daret unum aratrum terrae; quod effecit die 12 julii 1246, eodem instrumento quo sororibus confirmavit quadraginta sextariatas terrae a praedicta Cavaers concessas (1).

Ex eadem gente duxerat originem God Picharella, Sicardi de Duroforti et Petri de Insula avunculus, qui, dominae Cavaers ad instar, nonnulla dedit monialibus; testamento enim die 21^a januarii 1236 subscripto, ad remedium animae suae sororibus legavit multa inter quae designabatur terra juxta fontem Pruliani sita et Guillelmo Fabri locata, unumque modium frumenti et unum modium hordei censuales in alia sua terra monasterio assignavit (2).

Rogerus etiam Picharella, God nepos (3), cujus terrae longe lateque patebant, prioratui tradidit jura in terris quas a semetipso tenebant in loco dicto *ad curiam episcopalem*, Guillelmus de Lacourteta, ejus frater, et Raimundus Radulfus, dictus Leroy, et in aliis terris quas etiam a semetipso in loco dicto *Prunanel* tenebat God gens, hoc duntaxat pacto quod priori sororibusque quotannis, die Assumptionis B. Mariae Virginis, tres quartierae pulchri et desiccati frumenti persolverentur (4).

Etsi Raimundus VI, comes Tolosanus, nulla cum prioratu necessitate usus sit, — quae res nemini mi-

(1) Bibl. Nat., Doat, 98, f° 85.

(2) Atacin. tabularium, Prulianensia monumenta.

(3) *Ibid.* : « dimitto *nepotibus meis*, Jordano Picharella et Petro Rogerio, fratri ejus... », ait God Picharella.

(4) *Ibidem*.

randa est, quum fere semper cum Simone de Monteforti, monasterii paene conditore, continua bella gesserit piaeque loca non potuerit fovere quae adversus semetipsum agerent, — ipsius tamen successores, sive, ex ipso, sicut Raimundus VII filius et Joanna neptis, creati, sive e stirpe regum Francorum, ut Alphonsus Pictaviensis Tolosanusque comes, eamdem benevolentiam monialibus exhibuerunt. Nam Raimundus VII, comes Tolosanus, non solum conventui, postquam a domina Cavaers, castellania Fanijovis donatus est, vicinitatis conjunctione unitus est, sed etiam testamento, die 25^a septembris 1249 dato, spontanea voluntate, monialibus legavit summam centum marcarum argenti (1).

Raimundo vero vita functo, plura majoraque ab Alphonso, Pictaviensi comite, B. Ludovici germano Raimundique genero, postquam foedere apud Meldos icto, Tolosanus comes effectus, omnium Occitanorum nobilium fidelitatis juramentum recepit. A primis principatus temporibus, monialibus benivolam liberalemque se praebuit; forciam enim de Sauzens, quam haereticis publicatam, prioratui tradiderat Simon de Monteforti, Innocentius III et Honorius III pontifices confirmaverant, sed sibi vindicaverat Raimundus VII, Alphonsus in integrum monialibus restituit cum omnibus pertinentiis, assentientibus Blanca regina, matre sua, regnumque Franciae regente, donec pro Cruce in Orientalibus

(1) Dom Vaissette, *op. cit.*, t. VIII, p. 1256.

plagis, adversus Sarracenos dimicaret Ludovicus rex, necnon uxore Johanna, comitissa Tolosana, sibi et Johannaë eminenti tantummodo dominio reservato.

Quam restitutionem, solemniter Tolosae, anno 1251 factam, praesentibus Raimundo de Felgario episcopo et nonnullis civitatis consulibus (1), paulo post auxit Jordanus de Saxiaco, qui fratri Petro Durandi, prioris Pruliani vicario, omnia sua bona et jura in feodo apud Sauzens reliquit, die 18^a februarii 1257 (2). Postea, dum vixit, tantis copiis monasterium ornavit Alphonsus, ut alia post aliam, minimo interjecto intervallo, donationis charta scripta sit praecipuasque tantum memorare nobis in animo sit. Non solum, anno 1269, mense junio, prioratui confirmavit domos, terras, censivas et omnia quae acquisierant moniales in suis feodis vel retrofeodis, sed etiam grangiae Venastvillae addebat 16 sextariatas e silva de Valeriis (3) distractas et, mense decembri insequente, 22 alias e silva de s. Romano distractas (4), sibi suisque in perpetuum successoribus reservatis tantum ibidem jurisdictione, censuque annuo 12 denariorum auri tolosanorum apud Avinionetum, in festo Omnium Sanctorum, exigendorum. Quae quum laudavisset Johanna comitissa, sigillo donationis instrumento appenso, non solum restitutione jam facta, grangiam Sauzens refecerat, sed etiam, anno 1269,

(1) Dom Vaissette, *op. cit.*, VIII, 1271.

(2) Atac. tabul., docum. Prulianensia.

(3) Bibl. Nat., Doat, 98, f° 153.

(4) *Ibid.*, f° 149.

aliam grangiam apud Venastvillam, cujus capella ab episcopo Tolosano eodem fere tempore tradebatur (1), de novo condiderat. Denique, priusquam ad infideles debellandos, cruce signati Tunetum transfretarent Alphonsus et Johanna, moribundi exinde reversuri, mense maio 1270, acquisitionem a monialibus noviter factam villae *Casalrenoux* in Lauraguesio, confirmaverunt (2).

Sed optime de monialibus meruit Alphonsus comes, quum maximam dedit operam ut in Montibus Nigris nuncupatis, grangia illa Ramundenchis conventui constitueretur, quae, incisus quotannis in silva arboribus, confecto carbone, ferro e subterraneis latebris extracto, gregibusque pastis, summam annuam 1106 librarum, 9 solidorum, 6 denariorum, ut refert Petrus Guidonis (3) reddere solebat. Quum fere duplo major esset quam ipsa Limosina domus, operae pretium est inquirere quomodo tam grandia, per tam breve tempus, acquisiverit conventus.

A gentibus de Saxiaco, de Grava comitumque Tolosanorum constituta est grangia apud Ramundens. Quum primum, anno 1248, sorores ibidem aliquas emere terras cœpissent (4), aliquot post annis, mense februario 1257, eodem instrumento quo monasterio omnia apud Sauzens jura concedebat Jordanus de Saxiaco miles, idem fratri Petro Durandi, procurato-

(1) Cf. supra, p. 69.

(2) Bibl. Nat., Doat, 98, f° 155.

(3) Atac. tabul. *Visitatio Pruliani*, f° 11, col. 4.

(4) *Ibid.* Quae omnia acquisitionum instrumenta Carcassonae asservantur.

ris vicario, et priorissae Dominicae totique conventui libero arbitrio et spontanea voluntate, instinctu divinitatis et in remissionem peccaminum, largitus est omnia quae a semetipso nonnulli conduxissent in nemore dicto *dels Ramondens* et in finibus Saxiaci sito, « quod affrontabat de altano in fluvio *d'Alsau*, a meridie in bosco *Saussagues*, a circio in tenentia hospitalis et in bosco *d'Orfont de Miralh*, aquilone in bosco *d'Escorcenens* et in prato *Redilia*. » Quam donationem, secundo post anno, die 15 augusti 1258, innovans, Jordanus declarabat se nemini partem quamcumque nemoris dedisse aut pignoravisse uxorique Sibiliae filiisque et baliis mandabat ut fratres a priore in silvas missos, ab omnium vi tutarentur. Duobus post annis, Jordani munus ampliavit Alphonsus comes qui epistola apud Feritatem data (1), senescalco suo Tolosano et Albigensi vices suas committebat ut sorores Prulianenses in possessionem mitteret, cujusdam partis « nemoris de Ramondina quae sibi ipsi ratione haeresis erat incurta » (exeunte mense octobri 1260), et in instrumento amortizationis a Philippo III, rege Francorum, sororibus concessa, memoratur « locus de Ramondex et omnia pascua quae patruus dicto monasterio dinoscitur contulisse (2). »

Pascua silvasque in bosco Ramondino sibi collatas, aliis ibidem emptis, augere curavit conventus ;

(1) Bibl. Nat., Doat, 98, f° 1113.

(2) Atacin. tabul., Docum. Prulianensia.

nam, non solum, anno 1262 (1), quadragesimam partem emebat, sed etiam quamvis venditionis instrumentum non exstet, annumque quo factum sit omnino nesciamus, verisimile tamen est circa annum 1277, omnia pretio comparavisse moniales, quae ibidem dominorum de Grava juris essent.

Etenim, ante annum 1277, semper cum dominis de Grava consilia communicare solebat prior Pruliani de his quae Ramundenchis eveniebant; quum, die 2^a martii 1271 (2), per jurgia « carbonarius Godelfridus percussisset dolose et irato animo, usque ad effusionem sanguinis, magistrum Ugonem de Revela, in capite dicti magistri cum quadam lagenam in nemore de Ramondens, et Michael de Revela percussisset cum quadam picassa, dictum Godefridum in capite, usque ad sanguinis effusionem, » ista delicta « in jurisdictione, dominio et districtu predicti Berengarii de Grava et dictarum dominarum commissa, » ab ipsis iudicata sunt, Godelfrido et Michaele in iudicium vocatis, Michaeleque silva exterminato a Guillelmo Vitalis de Saxiaco, monialium procuratore, a Berengario de Grava, et a magistro Guillelmo Folquerii, ab utrisque dominis communi constituto iudice. Simili modo, die 15 octobris 1277, Berengarius de Grava, miles de Petriaco Minerbesii, et Arnaldus Seguerii, prior Pruliani, in unum convenerunt

(1) Atacin, tabul., Docum. Prulianensia.

(2) *Ibid.* : « ...comparuerunt coram dicto Berengario de Grava et dicto Vitale et magistro Guillelmo Folquerii, iudice in hac causa per dominos dicti feudi constituto. »

ut notarium Saxiaci, Petrum Rogerium, *notarium silvae de Ramundenchis* eligerent, quum uterque « dominus esset nemoris de Ramundenchis pro parte dimidia (1). » Quum autem post annum 1277, moniales Prulianenses de Ramundenchis solae agerent, opinandum est, a Berengario illas esse mercatas silvae partem quae ad illum spectaret.

Quod etiam manifestum est nonnullis emptionis instrumentis, quibus ante 1277, silvae partes Berengarius vendiderat, patentibus quoque litteris quibus mense septembri 1274, Philippus III amortizavit sororibus « pascua apud Ramondex quae emerunt a Berengario de Grava milite (2), » deinde auctoritatis instrumentis de omnibus antea a dominis de Grava possessis, quae omnia in Archivio Prulianensi postea asservata sunt (3). Anno 1299, quae antea in silva Ramondens juris erant dominorum de Grava, omnia in manus monialium devenerant; nam non solum amortizationis litterae a Bernardo de Turnis, anno

(1) *Ibid.* : « Berengarius de Grava, miles de Petriaco Minerbesii, dominus nemoris de Ramundenchis pro parte dimidia. »

(2) Atacin. tabul., Prulianensia docum.

(3) Nunc enim in conventus Archiviis, in Atacino tabulario asservatis, infrascripta inveniuntur instrumenta ad gentem de Grava spectantia :

Die 2 julii 1260, Instrumentum quo Petro de Grava Raimundus Benedictus de Castris partem de Ramondens vendit.

Die 4 decembris 1261, Instrumentum quo nobili viro, Petro de Grava, Petrus de Rupeforti quartam partem octavae partis de Ramondens vendit.

Die 27 januarii 1262, Instrumentum quo nobili viro, Petro de Grava, Pontius Barravi de Saxiaco octavam partem de Ramondens vendit.

Die 27 januarii 1262, Instrumentum quo nobili viro Petro de Grava, venditur octava pars silvae de Ramondens in decimario b. Mariae de Pomareda.

1298, impetratae, pascua memorant quae ab Arnaldo de Grava acquisiverat monasterium, sed etiam die 19 februarii 1299, acceptum habebat pretium Arnaldus dimidiae partis quae sui erat juris, silvae de Ramundenchis. Ex quo tempore, quum totam pleno jure possiderent silvam, quid restabat monialibus nisi ut merum et mixtum imperium ibidem exercerent? Postquam vero, die 4^a junii 1318, a dominis de Monticone et Gardiola jus sibi comparaverunt superiora inferioraque dicendi judicia, jurisdictione tamen una cum regis iudicibus fungentes, ibidem patibula erigi jusserunt quae suam ostenderent potestatem (23^a martii 1333) (1).

Sane, si omnia singillatim percenseremus quae, ante 1340, a diversis personis sive emptionis, sive donationis titulo, acquisivit prioratus, hoc eo majus afferret fastidium quod magni momenti non sunt omnia. Itaque nobis sat est perpendisse quanta ab omnibus, sive episcopis, sive laicis, sive Francigenis, sive Albigensibus, tam donationibus quam emptionibus acceperit prioratus, quantumque sit mutatus ab illo monasterio quod, exiguo per triginta passus circumdatum spatio, in suis parvis ruinamque minantibus aedificiis, ne septem quidem moniales includere valeret.

(1) Atacin. tabul., Prulianensia docum.

CAPUT V.

DE VISITATIONE MONASTERII, ANNO 1340, A PETRO
GUIDONIS EFFECTA.

Sane de statu in quo, anno 1340, versabatur monasterium, quomodo videlicet res grangiaeque monialium ministrarentur, quam vitam agerent fratres, sorores grangiarumque incolae, quomodo agri colerentur, quo pretio res emerentur aut venderentur, plane nos edocet quoddam instrumentum in Carcassonensi tabulario asservatum, acta scilicet visitationis qua Pruliani, anno 1340, functus est frater Petrus Guidonis, in provincia Tolosana, fratrum Praedicatorum prior. Perpendere autem et explanare singillatim omnia quae ibidem referuntur, et ex iis exquirere quomodo monasticae villae tunc temporis exercerentur, qua sancta conversatione viverent in claustro inclusae, quantamve acciperent mercedem operarii vel artifices, nobis est in animo, quando publici juris faciemus Visitationis acta. Nunc sat erit tam insigni monumento indagare quomodo se haberet conventus, anno 1340, quo ad summum divitiarum potentiaeque perductus sit.

Privilegio enim quo, die 27 aprilis 1248 (1), Innocentius papa IV Prulianense monasterium a jurisdictione ordinarii exemptum, priori provinciali Tolosano subjecerat, visitationem monasterii grangiarumque, die 25 octobris 1340, incepit Petrus Guidonis (2), Tolosanus provincialis prior, sicque in primis actorum visitationis verbis ipse expressit quomodo visitationem agere sibi proposuisset : « Ego frater Petrus Guidonis, prior provincialis fratrum Predicatorum in provincia Tolosana, sciens et attendens michi esse commissam curam monasterii sororum Pruliani, per privilegia apostolice sedis, volens, juxta hoc quod incumbit michi ex officio meo et ex commissione predicta, ad instar aliquorum predecessorum meorum in officio provincialatus existencium, scire generaliter et universaliter statum monasterii antedicti, et an bene regatur seu dispensentur bona temporalia utiliter tam in corpore monasterii, quam in grangiis et locis aliis dependentibus a monasterio predicto, et an sit aliquid reformandum, reparandum, corrigendumque, vel si sufficienter sororibus inclusis de rebus eis necessariis providetur, tam in sanitate quam in infirmitate, quoad victum et vestitum..., processi ad reformationem prefatam. (3) »

Quo facilius propositum adimpleret, secum as-

(1) Bibl. Nat., Doat, 98, f° 89. Tabul. Atac., Docum. Prulianensia.

(2) Atacin. tabul. *Visitatio*, f° 1, col. 1 : « Sciens et attendens michi esse commissam curam monasterii sororum Pruliani per privilegia apostolice sedis... »

(3) *Ibidem*.

sumpsit fratrem Guillelmum Garrici, monasterii vicarium generalem et, absente priore Helia, qui tunc Romae moras agebat ad tractanda dominicanae religionis negotia, Prulianum regentem, et Raimundum Barravi in silva de Ramundenchis grangiarium, qui quum procuratoris partes egisset, statum monasterii plane noverat, Guillelmum de Yssalabra qui tunc res procurabat Pruliani, necnon Bernardum Salvonis notarium, qui inquisitionis et reformationis acta fideliter prescriberet. Postquam omnes jussit sibi omnia declarare, fratribus professis praecepto dato sanctae obedientiae, ab aliis autem juramento, sacrosanctis tactis Evangeliiis, recepto, monasterium, grangias et omnia quae monialium juris erant, peragrando, quomodo regerentur exquisivit; et quomodo inquisitione functus sit, in visitationis actis ipse nos edocet his quatuordecim, qui inferius referuntur, articulis (1) :

1. Primus articulus est, quod judicavi esse inquirendum diligenter de merito morancium in corpore monasterii et in grangiis et de officialibus, si in aliqua persona, religiosa vel secularis, est nota alicujus deffectus, sive quoad vitam, sive quoad utilitatem seu dampnum monasterii;

2. secundus articulus est, quod judicavi esse videndum de numero quoad fratres clericos vel laycos, vel donatos seu famulos, an sit excessivus, vel in aliquo diminutus;

3. tertius articulus est, quod judicavi esse examinandum de animalibus bovinis et aratris, si sint plura vel pauciora quam expediat;

(1) Atacin. tabul. *Visitatio*, f° 1, col. 1 et 2.

4. quartus articulus est, quod judicavi esse advertendum dealiis animalibus tam vaccinis, quam equinis, quam lanutis, quam de saumeriis, si sint sufficientia seu insufficienti numero in qualibet grangia, juxta habundanciam pascuorum et de animalibus lanutis extraneorum, quot sunt et quorum sunt; et etiam judicavi esse advertendum de numero canum, si sunt plures quam expediat, et etiam quot porcos habent, et si expedit quod nutriantur in grangiis et quot indigent pro sallatura;

5. quintus articulus est, quod judicavi esse examinandum si in monasterio vel in grangiis sunt pascua excessiva pro bobus, ut de superfluis possint fieri prata pro feno colligendo, de quo monasterium communiter habet magnum defectum, et etiam si pro ortis terra nimia occupatur;

6. sextus articulus est, quod est inquirendum de edificiis necessariis potissime in grangiis pro custodia rerum, et an ruine aliquae sint reparande;

7. septimus articulus est, quod est cavendum ne grangiaris, vel socius, seu donatus maneat in vel prope locum sue originis, et quod nullus de parentela grangiaris, socii vel donati moretur cum eisdem;

8. octavus articulus est, quod judicavi esse inquirendum de expensis que fiunt in monasterio vel in grangiis, sive pro fratribus sive pro secularibus, an sint excessive;

9. nonus articulus est, quod judicavi exacte examinandum esse quantum fieri poterit bono modo, videlicet quantum monasterium in rebus quibuscumque recipit vel expendit, et quantum etiam recipit a qualibet grangia monasterii, et etiam quantum grangie recipiunt a monasterio, et etiam de valore et expensis grangiarum;

10. decimus articulus est, quod judicavi esse videndum quantum procurator seu grangiaris aut quicumque alii de rebus amortizandis acquisiverunt, post financiam ultimo factam cum domino nostro rege, ut per festinam amortizationem, majora et graviora discrimina vitentur;

11. undecimus est, quod judicavi esse attendendum si est necessarium quod fiant plures donati ;

12. duodecimus est, quod judicavi examaminandum, si in monasterio et in qualibet grangia, habentur lectisternia ad sufficientiam, vel si committitur negligentia in reparatione ipsorum ;

13. tertius decimus articulus est, quod judicavi esse considerandum de mutonibus, quot sunt in monasterio necessarii pro sororibus et fratribus infirmis et debilibus, anno quolibet, ad comedendum, et ubi morabuntur melius pro mitteri, et an expediat dari preceptum quod nullus muto masculus sine prioris licentia speciali vel ejus vicarii per quoscumque officiales vendatur ;

14. quartus decimus articulus est, quod judicavi fore examinandum de vestiario fratrum, si est superfluum vel diminutum, et de modo seu remedio quomodo, juxta antiquum morem, vestes antike dimittantur, quando recipientur nove. »

Quos articulos perlegenti evidenter apparet quam diligens gravisque fuerit Petri Guidonis pervestigatio, et quantam fidem adhibere debeamus omnibus quae in visitationis actis annotentur. Ex qua primo constat non solum monasterio B. Dominico dato, et terris aedificiisque a nonnullis aucto, tunc temporis uti conventum, sed etiam aliis quampluribus in Reddesio et Lauraguesio villis grangiisque :

1° imprimis videlicet grangia de Villafranca in Lauraguesio, alias de Venastvilla, cum jure patronatus in ecclesia parochiali Venastvillae et capella Villaefranchae ;

2° grangia de Agassenchis ;

3° grangia S. Petri in Reddesio, cum grangiola de Mazerolis « quae est sub cura grangie S. Petri; »

4° grangia de Fenoleto in Reddesio, cum grangiola de Fontelupano ecclesiisque parochialibus de Fontazellis et Fenoleti, necnon et certis aliis juribus in circumvicinis villis;

5° grangia de Piquamora;

6° domo S. Martini de Limoso, cum ecclesia parochiali, molendinis, et juribus apud Calhavum, Calhavellum, Villarzellum in Reddesio, « grangiola de Pulchro Castro alias de Cumba majori » et grangiola de Vezola « quae est sub cura procuratoris ecclesie S. Martini de Limoso; »

7° grangia silvisque de Ramundenchis in Montibus Nigris nuncupatis;

8° grangia denique de Sauzenchis cum ecclesia parochiali S. Juliani de Bromio;

9° grangia de Cammasio, Pruliano contigua.

Quae omnes grangiae a grangiaro, ordinis Praedicatorum semper fratre, regebantur, qui plerumque secum socium assumebat, qui vices ipsius adimpleret ipsumque observaret, donatosque, albis vestitos albosque, vocatos, si doctrina exculi viderentur, sin autem, burellis vestitos burellosque vocatos, qui in humilibus ministrarent, denique operarios conductitios, laicos videlicet, a monastica conversatione omnino alienos, qui, pacta mercede, monasterio grangiaris-que servirent.

Quum in omnibus villis multimodis rebus, agriculturae praecipue et pecuariae, omnes studerent,

multimodi proventus, a grangiaro collecti, Prulianum mitti solebant, simul ac vectigalia et census ab illis soluti qui terras a dominabus acceperant, necnon decimae, primitiae et oblationes quae jure patronatus a parochialibus ecclesiis monasterio proveniebant.

Quum, ex una parte, nobis difficile videatur omnes omnium grangiarum redditus perspicere et scrutari, sed, ex altera, explanare optemus quid grangia esset et quomodo regeretur, operae pretium est ut in unam grangiam, omnium locupletissimam, grangiam de Ramundenchis, animum intendamus et ab una illa alias omnes discamus.

Ramundenchi (1) a grangiaro, ordinis Praedicatorum, fratre Raimundo Barravi, regebantur, qui a socio quodam albo industrio qui a Petro Guidonis claves acceperat hospicii, aliisque operariis conducticiis adjuvabatur. Quum vero inter Pruliani grangias, longe maxima esset grangia de Ramundenchis, et quae maximos variosque ferret proventus, minime mirum est si ad ipsam regendam, 54 operarii conducti sunt, imprimis sex *forestarii* a Petro Guidonis ad quatuor reducti, qui, quum a monasterio non solum panem secundum, *de picone* dictum, sed etiam panem magistrorum accipere solerent, probati habebantur. Negotiorum enim fidi procuratores erant; nam forestarium Cangius (2) intelligit « qui forestas

(1) De Ramundenchis, cf. Atacin. tabul. *Visitatio Pruliani*, f. 11 et 12, *passim*, 24 et 25, *passim*.

(2) Cangius, *Glossarium mediae et infimae latinitatis*, art. *Forestarius*.

seu silvas curat, servat, *forestier* vel *sergent de bois*. » Ad servandam autem silvam, sex aut quatuor saltem necessariis habitis forestariis, pro comperto habemus magnam tunc temporis fuisse silvam, quippe quae nostris adhuc temporibus, novem millia passuum et amplius in latitudinem longitudinemque pateat. Propterea e silva proveniebat grangiae redituum pars longe maxima; quotannis enim arbores caedi vendique solebant, sive ad comburendum, sive ad fabricandum; nam, inter operarios memorant acta visitationis « duos saumatarios pro incisione et venditione quae fit de nemore » et « unum clericum qui scribit pecias quae venduntur et alium qui ponderat ligna, » et « unum boeriolum alium qui ligna cum bobus monasterii, una cum alio boerio, extrahit de nemore mercatoribus. »

Non solum informis materia vendebatur, sed etiam in ipsa grangia fabricabatur sive in circulos, qui Bromium in nundinas aut in alias grangias, ad suppellectilia vinaria aptanda, mittebantur, — annotat enim Petrus Guidonis « sex libras pro sex sarcinatis de circulis tonellorum quae mittuntur apud Bromium et grangias, » — sive in cledas ovilium « quae apud Prulianum et grangias transmittabantur, » sive etiam in carbonem, cujus nonaginta sarcinatas, quatuordecim libris et decem solidis aestimatas, monialibus, quindecim autem unicuique grangiae, anno singulo, assignari solebant.

Ingentes quoque pecuniae summae e ferrariis proveniebant, e quibus in silva inventis, plus quam



duodecim quintalia quotannis effodiebantur. Nam, computatis solis quintalibus quae ad usum monasterii servata erant, omissisque quae, multa tamen, venumdabantur, Petrus Guidonis refert « decem libras, sexdecim solidos pro duodecim quintalibus ferri » quae omnibus grangiis distribuebantur anno singulo, « computando pro quintali duodeviginti solidos. » Quae omnia e silva extracta, sive mercatoribus, sive grangiis traderentur, summam 782 librarum, 13 solidorum ferebant, ingentem sane, quae satis demonstrat quanti momenti esset silva de Ramundenchis.

Rei quoque pecuariae studebat grangiarius; nam, in actis visitationis, Petrus Guidonis refert quae expensa erant « pro clausuris pratorum. » Quum enim in monte inculta late paterent, in quibus pascerentur armenta « nemusque haberet in habundancia glandes, » quibus porci opimi fierent, multumque secale agri ferrent et hordeum, omnia in promptu erant ut pecudes armentaque in grangia enutrentur. Quapropter, quando in grangia visitationis officio functus est Petrus Guidonis, ibidem se invenisse declaravit :

222 animalia vaccina « inter que sunt et numerantur 22 vituli anni presentis, et de aliis 200, sunt 113 vacce levantes et nunc plures pregnantes; »

21 equas « levantes et 8 pullos masculos equarum, 3 videlicet alterius anni et 5 istius; item 2 pullas equarum et 1 muletum; »

- 170 capras « pro edulis faciendis; »
7 saumerios, « 2 pro pane portando de Pruliano
et 5 pro fabrica; »
64 porcos « ad nutriendum. »
44 porcos « pingues ad vendendum vel interficien-
dum pro salatura. »

528 capita.

Quibus addendi sunt ad minus centum *mutones*; nam in aestimatione bonorum grangiae, Petrus Guidonis ponit « 50 libras pro 100 mutonibus qui, anno singulo venerunt ad monasterium Pruliani. » Quae omnia, operam praestantibus 21 canibus,

custodiebant 18 pastores :

10 videlicet custodiebant 5 vaccina armenta, ita ut bini 40 fere animalibus invigilarent, quum 222 animalia vaccina essent;

2 custodiebant 100 oves;

2 — 170 caprina animalia;

2 — 21 equas earumque pullos;

2 — 108 porcos.

Non solum e silva et pecuaria ingentes pecuniarum summas monasterio proveniebant, sed etiam e censivis et jurisdictione. Nobis documento est charta quaedam, die 4 junii 1318 data, qua ibidem merum et mixtum imperium conventui traditum est a dominis de Montetricone et de Gardiola. Merum tamen imperium cum regiis iudicibus dividisse videtur ex eo quod, instrumento die 25 martii 1555, subscripto, procurator regius Villaelongae et syndicus Prulia-

nensis in silva nova erexerunt patibula, loco priorum vetustate collapsorum. Mixtum autem imperium ad moniales totum pertinuisse videtur, non solum quia se nullum in grangia silvaque mixtum habere imperium, confessus est iudex regius, sed etiam quia in grangia carcer existebat, iudexque a monialibus institutus, nullo medio, feria sexta post festum s. Barnabae 1316, sexaginta solidis Tolosanorum mulctavit homines e Saxiaco et S. Dionysio, qui in silvam pecora armentaque duxerant; ex qua jurisdictione nonnullas pecuniae summas monasterio devenisse certum est.

Suos quoque redditus suaque vectigalia ferebant aliae monialium grangiae. Propterea, si, extractis expensis quae necessario fiebant pro culturis victuque hominum et animalium ibidem degentium, omnes colligas omnium grangiarum receptas, animo effingere potes quantis fuerentur bonis moniales, quando monasterium grangiaeque a Petro Guidonis sunt visitata.

« Visitatio grangie de Villafranca.

Summa recepte denariorum predictorum cum valore rerum

superius estimatarum. 142 l. 14 s. 2 d.

Summa expense denariorum universalis.

118 l. 12 s.

Et sic restat monasterio. 24 l. 2 s. 2 d.

Visitatio grangie de Agassenchis.

De valore seu recepta in denariis. Summa predictorum.

100 l. 30 s. 8 d.

Expensa denariorum grangie de Agassenchis. Summa.. . . .	97 l. 17 s. 4 d.
Et sic restant monasterio. .	3 l. 13 s. 4 d.
Visitatio grangie S. Petri et de Mazerolis.	
Recepta denariorum. Summa..	276 l. 17 s. 3 d.
Expensa denariorum. Summa..	149 l. 19 s.
Et sic restat monasterio. .	126 l. 18 s. 3 d.
Visitatio grangie de Fontelupano et de Fenoletto.	
Recepta pecunie..	97 l. 3 s. 7 d.
Expensa.	145 l. 13 s. 6 d.
Et sic restat monasterio.. .	— 48 l. 9 s. 11 d.
Visitatio domus S. Martini de Limoso.	
Recepta denariorum, exclusa ecclesia de cujus valore erit capitulum speciale. Summa.. .	384 l. 4 s. 9 d.
Summa expensarum dictorum molendinorum draperiorum..	80 l. 11 s.
Et sic restat monasterio.. .	303 l. 13 s. 9 d.
Summa expensarum dictorum molendinorum (bladeriorum in pecunia).	131 l. 10 s.
Summa totalis valoris ecclesie S. Martini de Limoso reductis omnibus ad pecuniam. . . .	939 l. 16 s.
Summa totalis omnium expensarum superius contentarum dicte ecclesie de Limoso pro quolibet anno, reductis omnibus ad pecuniam.	548 l. 9 s. 6 d.
Et sic restat monasterio. .	390 l. 9 s. 6 d.

Visitatio grangie de Vezola.

Summa denariorum predictorum 59 l. 5 d. 1 ob.

Summa predictorum denariorum
expensorum 31 l.

Et sic restat monasterio . . . 28 l. 5 d. 1 ob.

Visitatio grangie de Pulchro Cas-
tro.

Recepta denariorum dicte gran-
gie. Summa pecunie seu va-
loris in pecunia rerum supra-
dictarum 40 l. 15 s.

Expensa pecunie grangiote su-
pradictae. Summa predictae pe-
cunie 36 l.

Et sic restat monasterio . . . 4 l. 15 s.

Visitatio grangie de Ramunden-
chis.

Summa receptorum et valoris re-
rum supradictarum, incluso
valore predicti saliginis que
veniunt et venerunt annis sin-
gulis communiter ad manum
et utilitatem monasterii Pru-
liani, exclusa pecunia que ha-
betur de tallio seu ex vendi-
tione incisionis nemoris que
in ista summa non includitur. 1,106 l. 9 s. 6 d.

Summa totalis expensarum dicte
grangie 480 l. 13 s.

Et sic restat monasterio . . . 625 l. 16 s. 6 d.

Visitatio grangie de Sauzenchis.

Recepta pecunie. Summa pecu-
nie predictae seu valoris rerum
supradictarum in pecunia . . . 248 l. 6 d.

Summa pecunie expense in dicta grangia.	136 l.	6 d.
<hr/>		
Et sic restat monasterio. .	112 l.	
Visitatio grangie de Camasio.		
Valor et recepta ac etiam expensa grangie de Bellovidere recepta pecunie.	70 l. 10 s.	
Summa dicte pecunie expense.	57 l. 16 s.	
<hr/>		
Et sic restat monasterio. .	12 l. 14 s.	

CAPUT VI.

QUOMODO, BONIS MONIALIBUSQUE MAGIS AC MAGIS DESTI-
TUTUM, MONASTERIUM IN DETERIUS SIT LAPSUM.

Summam igitur 1148 lib., 8 sol., 1 den. explebant redditus in actis visitationis declarati, exclusis expensis quae sive ad victum monialium omniumque monialibus famulantium, sive ad culturam factae erant; quumque saepenumero evenerit ut Philippus IV aliique Francorum reges (1), conventui mutuarint pecuniarum summas, opinandum est moniales divites fuisse. Sed, vertente saeculo XIV, omnia in deterius lapsa nobis videntur; anno 1340, initum jam erat inter Anglos et Francos, bellum illud nefandum quod per longum tempus, tot regionibus tanta tulit mala; et post aliquot annos, Princeps Nigellus vulgo nuncupatus, cavalcatam hostilem per Occitaniam ceterasque meridianas plagas duxit, quae hominibus exitium agrisque vastationem paravit. Quamvis, attenta sanctitate loci, ab Anglis minime

(1) Atacin. tabul., Prulienensia monumenta.

direptum sit monasterium Prulianense, tamen, vastatis longe lateque agris, impeditisque negotiis, non mirum est quod multis bonis redditibusque spoliatus est conventus. Propterea, quum, anno 1425, a monialibus decimam proventuum exigere sibi proposuit Carolus VII, Francorum rex, monasterii syndicus declaravit ad tantam devenisse inopiam moniales ut, si proposito rex insisteret, monasterium relinquere cogerentur moniales, in quo moras agere non possent (1).

« Item dicit quod, licet antiquitus dicte religiose, priorissa et sorores dicti monasterii de Prulliano perciperent ad causam spiritualitatis dictorum locorum et ecclesiarum parochialium eorundem, in redditibus et proventibus valentibus, ultra summam duorum millia librarum turonensium, hodie tamen, deductis pensionibus vicariorum perpetuorum predictorum et aliis expensis que necessario sunt fiende ad collectionem et perceptionem dictorum proventuum et reddituum, ipsi redditus seu proventus non valent summam mille librarum turonensium, prout etiam reperiri poterit per libros compotorum et rationum dicti monasterii, quos libros offert se paratum exhibere vobis, dominis generalibus, seu commissariis per vos deputatis.

» Item dicit quod, licet antiquitus et antequam dicti domini summi pontifices et domini Francorum reges supranominati concessissent dictis religiosis priorisse et sororibus privilegium et indultum de non solvendo decimas aliquas impositas super gentes ecclesiasticas patrie lingue Occitane, ipse religiose tenerentur solvere pro qualibet decima imposita secundum quotam et portionem ipsas tangentem, juxta valorem reddituum dictarum ecclesiarum spiritualium, quarum patrone existunt, C lib. tur., tamen hodiernis tempori-

(1) Atacin. tabul., Prulianensia monumenta.

bus, tam propter mortalitatem gentium, et pestilentias, et sterilitates fructuum, quam propter guerras et alia infinita inconvenientia que in partibus lingue Occitane, et potissime in partibus in quibus dicte ecclesie et redditus sunt fundate, eveniunt et contingunt de anno in annum, propter quas dicti redditus et proventus sunt valde diminuti, ipse priorissa et sorores, attentis etiam expensis quas necessario habent facere pro victu, calciatu, vestitu ipsarum et salariis et salariis aliarum personarum morancium in dicto monasterio, et earum grangiis et boriis, et propter reparationes necessario annis singulis fiendas in hedificiis dicti monasterii et aliarum grangiarum, boriarum, domorum ejusdem, assendentes, una cum alia, ad summam C libr. tur. et ultra, et propter salaria et pensiones advocatorum, procuratorum, notariorum et aliorum curialium que necessario habent solvere, annis singulis, pro litibus quas habent in diversis curiis spiritualibus et temporalibus, pro deffensione et thuitione jurium et reddituum dicti monasterii, assendencium anno quolibet, summam centum librarum turonensium et ultra, non possunt ac non valent tantam summam, sicut est summa C lib. tur., pro decima de presenti currenti et aliis decimis in futurum, si que contingant, solvere ac dare.

» Item dicit quod, si contingeret, quod absit, ipsis priorisse et sororibus dictam decimam de presenti currentem et alias in futurum contingentes ex integro solvere necessario oporteret, eas dictas ecclesias et alias earum grangias et habitationes deserere, et sic non possent earum victum et vitam sustentare et necessario haberent desistere a celebratione divinorum officiorum, et ibi infra dictum monasterium, infra quod sunt perpetuo murate et incarcerate, fame perire quod absurdissimum esset, et non reperiretur aliquis qui filiam vel sororem vel alias mulieres de genere suo vellet in dicto monasterio ponere pro divino servicio faciendo et celebrando, et oporteret dictum monasterium funditus destruere, quod est evitandum.

» Item dicit quod dicta priorissa, et sorores, et religiosi viri fratres prior, et alii degentes infra dictum monasterium, habentes regimen et gubernacionem bonorum dictarum sororum et monasterii, videntes et considerantes quod, si oporteat easdem solvere tantam summam centum librarum turonensium pro presenti decima nunc currenti, et tantumdem pro aliis decimis, si que contingant per gentes ecclesiasticas concedi dicto domino nostro regi, recursum habuerunt ad dictum dominum nostrum regem, eidem humiliter supplicando ut vellet eisdem sororibus, sua gratia et misericordia impertiri et providere supradictis de remedio opportuno. »

Denique, postquam, saeculis XVI, XVII et XVIII, in commendam a regibus datum est Prulianum priorissis e clarissimis parentibus aut ex ipsa stirpe regia procreatis, unum fuit e monasteriis quorum reditus personis ibidem in sancta conversatione degentibus, nimis parce distributi, luxum mollitiamque alebant *commendatariarum* in aula regia morantium, in deteriusque lapsum est Prulianum, et una cum tot tantisque monasteriis, majoris vulgo dictae Revolutionis sacrilegis ausibus funditus eversum!

CAPUT VII.

IN QUAM FORMAM MONASTERIUM SIT EXSTRUCTUM.

In actis visitationis qua Petrus Guidonis, anno 1340 functus est, ex una parte, monasterii corpus et ex altera, domus grangiaeque referuntur (1). Nam monasterii corpus quoties dicitur, cœnobium intelligitur monialium quibus, ut orationibus tantum sanctaeque conversationi vacarent, bona omnia tradita erant; fratrum quoque Praedicatorum sedes, qui sororum spiritalia simul ac temporalia vigilanter procurabant, omnes denique officinae in quibus, moderantibus fratribus professis seu donatis, omnia conficiebantur quae ad agros colendos, ad victum vestitumque omnium personarum ibidem degentium, procurandos, necessaria erant; domus autem grangiaeque intelliguntur urbanae aedes rusticaeque villae quae, quo melius fundi monasterii ubique colerentur, reditusque exigerentur, viginti seu tri-

(1) *Visitatio*, f° 1, col. 1.

ginta millia passuum circumjacebant quarumque, series superius memoratur.

De corpore monasterii.

Paulatim crevit et ita adolevit monasterium ut magna illa aedificia exstruerentur, quorum imaginem quamdam nobis effingere ex visitationis actis conabimur. Instrumento donationis, anno 1206 subscripto, « ecclesiam tantummodo B. Mariae de Pruliano et territorium per triginta passus adjacens ex utraque parte circa ecclesiam (1), » B. Dominico tradidit Fulco et quum, nulla fiat de aedificiis ibidem constructis, mentio, verisimile est nulla tunc ibidem exstitisse aedificia, aut saltem adeo parva ut ab ipsis conventus primordiis, ad « qualemcumque habitationem... ad modum monasterii (2) » erigendam, quam cito quae receperit Dominicus, expendere debuerit.

Quam vero vilis exiguaque fuerit illa domus opinemur licet ex eo quod, mense augusto 1206, exstrui incepta, mense insequenti novembri, moniales exceperit, ex eo quoque quod ecclesiae acclinis unum cum ipsa fuisse videatur; mense enim aprili 1207, Berengarius, archiepiscopus Narbonensis, ecclesiam concedit B. Martini de Limoso monialibus Prulianensibus « *habitantibus in ecclesia B. Mariae de Pruliano* (3); » ex eo

(1) Balme, *Cartul. de saint Dominique*, Inst. 1, p. 148.

(2) *Ibid.* p. 141.

(3) Balme, Inst. 2, p. 155.

denique quod ne novem quidem inclusas ceperit, sed in castro Fanojovis moras agere aliquot per annos sorores debuerint (1). Quapropter, ut monasterii aedificia auferentur et ampliarentur, tantam dedit B. Dominicus operam ut, anno 1212, non solum undecim monialibus sedes praeberent, sed etiam officinis instructa viderentur, sicut testatur instrumentum, 1 decembris 1212 confectum (2). Beatus tamen Dominicus, quum proposito magis ac magis insisteret, vicinas Pruliano terras emit, die scilicet 17 septembris 1212, terram juxta coenobium, sub ecclesia B. Martini sitam, quae monialium agros altanum versus continuaret (3), sicque ampliatas esse officinas plane est verisimile; de quo nos omnino certos facit instrumentum donationis quo, die 1^a decembris 1212 firmato, conventui duos agros dedit Simon de Monteforti in territorio Fanijovis, alterum apud montem Baionem, alterum apud Bezant « quos, ut ipse ait, volumus commutari pro terra que erat juxta ecclesiam, que clauditur cum eadem ecclesia, *ad ampliandas ejusdem domus officinas* (4). » Ita tamen parvae erant monasterii domus, ut Bernardus Guidonis, quum, anno 1307, historiam monasterii scriberet, non multa et ipsa humilia fuisse aedificia monasterii, B. Dominici temporibus, merito memorare po-

(1) Balme, Inst. 2, p. 141.

(2) *Ibid.*, Inst. 25, p. 343.

(3) *Ibid.*, Inst. 21, p. 331; Inst. 24, p. 340. « quae affrontat ...a circio in terra S. Mariae de Pruliano. »

(4) Balme, Inst. 25, p. 343.

tuerit. Quae quidem, accrescentibus conventus copiis divitiisque, et ipsa adolevere multumque sunt ampliata.

Conventus res procurante Raimundo Catalani (1230-1258), auctum est monasterium; ad ampliandas enim officinas opinandus est prior a Bernardo Esquirol sartore, ejusque nepotibus, Bernardo et Arnaldo, emisse agrum ad *castrum vetus* situm, et « affrontantem de altano, et a meridie, et ex omnibus aliis partibus in tenentia et honore monasterii praedicti (1); » nam, anno 1540, monasterii officinae exstructae apparebant in quo territorio fuerat Bernardi Esquirol ager. Aedificiis quoque operam dedit Raimundus, in quibus, juxta sororum coenobium, vitam agebant Praedicatores fratres, spiritualia monachorum temporaliaque procurantes. Nam ecclesiam S. Martini, monasterii terris finitimam et in ruinas labentem, a Raimundo de Felgario, Tolosano antisite, impetrabat, ut in ipsa totaliter refecta in Prulianensi clausura, fratres ad divinum celebrandum officium collocaret (2); sed, morte praeventus anno 1258, propositum exsequi non valuit. Nonus vero Prulianensis prior, frater Arnaldus Seguerii, monasterii ab anno 1267 usque ad 1296, prudentissimus multumque in rebus agendis diligens moderator, maxima dedit aedificiis incrementa, quippe qui antiquam B. Martini ecclesiam destructam, materia servata,

(1) Atacin. tabul., Docum. Prulianensia.

(2) Cf. supra, p. 69.

rursus excitaverit, loco dumtaxat mutato aedificii colle vicino prius impositi, deindeque intra monasterii clausuram erecti, quo facilior esset fratribus in capellam accessus (1). Sed multo majora incepit, quum ecclesiam sororum destrui et in majorem formam rursus exstrui jussit.

Magis enim ac magis accrescente monialium numero, triginta quatuor erant quum, anno 1255, ab episcopo Tolosano ecclesia S. Juliani de Bromio donatae sunt (2), centenarium vero numerum excedebant quum, anno 1258, visitationem monasterii magister ordinis, Humbertus, peragens, statuit centenarium numerum numquam superandum esse, nisi aliter a solo generali ordinis magistro foret ordinatum (3); 140 tamen, septimo post anno, numerabantur quum, anno 1265, in largitionum tabulis, Alphonsus Pictaviensis comes, scribi jussit jacobinas Prulianenses moniales « qui sont au nombre de 140. »

Quum ad capiendas 140 sorores, in duobus adversis ordinibus positas, magna necessaria essent aedificia, capitulum scilicet, chorus, refectoriumque quinquaginta vel sexaginta passus in longitudinem et quindecim in latitudinem patentia, evidenter constabat monasterium et praecipue ecclesiam nimis angusta effecta esse. Prior igitur ecclesia derelicta est, sed non diruta, propter B. Dominici memoriam

(1) Martène, *op. cit.*, 453 : « aedificavit capellam fratrum S. Martini, » ait Bernardus Guidonis.

(2) Bibl. Nat. Doat. 98, f. 74.

(3) Martène, *Thes. novus anecdot.*, t. IV, col. 1722.

qui ibidem tantas effuderat preces, primasque moniales collocaverat : quam, anno 1648, profanatam sed adhuc integram vidit Johannes de Réchac : « Cette chapelle, » ait, « a toujours subsisté, nonobstant que la grande église fût bâtie ; mais depuis que la conduite régulière n'a pas été aussi rigoureuse, elle a été profanée ; mais j'espère que les supérieurs qui sont à présent ne manqueront pas de lui rendre l'honneur qui lui est dû (1). » Incepta fuit exstrui recentior sororum ecclesia, multo major priore, die 5^a octobris 1267, quo anno, teste Bernardo Guidonis : « in crastino B. Francisci, III nonas octobris, fuit in monasterio incepta ecclesia, et lapis primarius positus in eadem, in honorem gloriosae Virginis Matris Dei, per ipsum fratrem Arnaldum Seguerii priorem, et per nobilem virum Guidonem de Levis, marescallum Mirapiscensem. Post haec, divina gratia assistente, meritis ejusdem Virginis gloriosae et B. Dominici patris nostri, prosecutum est opus et usque ad finem completum et peractum per eundem priorem et fratres, anno Domini 1285, in festo Epiphaniae. Quo die festo, praenominatus prior, in eadem ecclesia, in majori altari, primam missam celebravit (2). » Mirabili opere mirandaque magnitudine nituisse videtur ecclesia, quum a Bernardo Guidonis *insignis* dicatur, ejusque « opus sumptuosum » laudet Clemens papa IV, eique exstruendae per 18 annos continua

(1) Johannes de Réchac, *Vie de saint Dominique*, p. 197.

(2) Martène, *op. cit.*, p. 453.

cura (1), maximisque impensis operam dederit prior, subsidiaque contulerit et ipse pontifex Romanus, centum dies relaxando « omnibus vere poenitentibus qui ad hoc manus porrexerint adjutrices (2). »

Multa alia magnaue opera fieri iussit Arnaldus Seguerii. Anno enim 1294, die festo sanctorum Abdon et Sennen, Stephanus Bisuntinus, dum visitationis officio Pruliani fungeretur, priori praecipiebat ut aquas Prulianensis fontis in monasterium deduceret. « Volo et ordino quod prior, pro fonte derivando infra monasterium et clausuram sororum, det celerius operam efficacem (3). » Quibus mandatis obtemperasse demonstratur prior eo quod in actis visitationis, anno 1340, confectis, de quodam mentio fit rivulo, qui monasterium per cameras privatas intrabat, et ex parte meridiei, terras juxta clausuram sitas irrigabat (4).

Jusserat quoque magister generalis ut muro clausuraeque monasterii quamcito opera daretur : « Item volo et ordino quod prior domus de exitibus et proventibus domus, si que, deductis expensis, superabundaverint, in cincturam muri et ambitum monasterii hujusmodi pecuniam existentem expendere teneatur (5). » Quae ut executioni mandaret, in ultimis prioratus vitaeque temporibus, post annum

(1) Quae exprimere videntur hujusmodi verba « *prosecutum est opus et usque in finem completum et peractum.* »

(2) Bibl. Nat., Cod. gall., 8671, f° 173.

(3) Combefort, *Historia ms. monasterii*, f° 63.

(4) *Visitatio*, f° 28, col. 4.

(5) Combefort, *op. cit.*, f° 63.

1294, incipi jussit lapideum murum circum monasterium, quem morte praeventus, ad finem non perduxit, sed absolvendum reliquit successori Bernardo de Turnis. « Clausuram monasterii de muro lapideo inchoaverat, quam successor ejus quasi complevit, « de Arnaldo ait Bernardus Guidonis, de Bernardo de Turnis quoque addens : « Consummavit clausuram insignem de muro lapideo usque ad portam majorem exclusive (1). » Haud parvum inceptum erat quippe quod, postquam per quinque annos muris extruendis indefessa data esset opera, prioratu functo Bernardo de Turnis, anno 1299, nondum esset perfectum opus quod, novus prior Arnaldus Joannis Caturcensis, magno portali et desuper turri excitatis, sicque bene clauso monasterio (2), ad finem perduxerit, omnibusque, anno 1501, finem imposuerit. Quam magna mirandaque fuerint ista moenia, e verbis quae de his mentionem faciens, usurpat (*clausuram insignem, magnum illud portale*), satis demonstrat Bernardus Guidonis.

Quum monasterium, adeo amplis clausisset muris Arnaldus Seguerii, ut aedificia ibidem consistentia, ampliari augerique valerent, pars monasterii aucta est ab anno 1502 ad 1507, in qua fratrum Praedicatorum sedes collocatae erant : « Facta fuit magna illa domus lapidea ex parte ecclesiae sororum, in qua sunt superius dormitorium cum cellis pro fratribus

(1) Martène, *op. cit.*, p. 455.

(2) *Ibid.* : « Consummata clausura monasterii lapidea, factum fuit *magnum illud portale* cum turri desuper camerata, anno Domini 1297. »

hospitibus et conversis, inferius vero magnum cellarium cum testudine et torcular; cujus domus, ex parte orientali, fuit aedificium inchoatum anno Domini 1302, in aestate, et in finem usque perductum anno Domini 1307 (1). » Sororum quoque coenobio operam dedit Arnaldus, in quo alteram aedificari jussit domum lapideam, in usum dormitorii et infirmitorii aptandam : « Tempore prefati prioris (Arnaldi), ait Bernardus Guidonis, fuit facta domus lapidea pro dormitorio et infirmitorio sororum valde pulchra. Quae consummata fuit anno Domini 1315. » Eodem anno « facta fuit domus furni lapidea cum ipso furno (2). »

Hactenus quae de Prulianensibus aedificiis scripsit Bernardus Guidonis; sed alia erecta fuisse ab anno 1315 ad 1340, documento sunt visitationis acta, quae aliqua Pruliani referunt aedificia a Bernardo non memorata, satisque demonstrant quot quantaque fuerint tunc temporis sororum fratrumque domus, eadem clausura circumdatae. Quam monasterii formam animo effingere possumus his, nimis quidem concisis, notitiis, quae in Petri Guidonis visitatione inveniuntur, in locorum descriptione a Johanne de Réchac facta qui, anno 1648, vetus adiit monasterium antequam a Mânsart, saeculo XVII vergente, in novum statum restitueretur; in tabula denique novi monasterii quod, etsi a fundamentis renovatum est,

(1) Martène, *op. cit.*, p. 455.

(2) *Ibid.*

in nonnullis tamen partibus, in coquinis scilicet nonnullisque officinis, ad prioris monasterii exemplar aedificatum est.

Apud Johannem de Réchac mensurae inveniuntur totius monasterii : « Il est de forme carrée, mais plus long que large, car il a 500 pas de large et 400 de long. » Quae eadem, eisdem fere verbis, in historia Pruliani a Combefort conscripta, referuntur : « L'enceinte du monastère était de forme carrée; il a 500 pas de large et 400 de long. » E quibus evidenter constat orthogonium effinxisse coenobii aedificia in 120,000 passus, vel, si malueris gallice loqui, 12 *Ha* explanatum.

Monasterium muro circumdatum esse a Stephano Bisuntino, magistro generali, supra docuimus; quem murum lapideum Bernardus refert a Bernardo de Turnis perfectum esse; clausuramque vocant acta visitationis, anno 1540 peractae, et prolixius describunt Combefort, Johannesque de Réchac. « Les murailles de l'enclos, » ait iste, « sont de pierres de taille de 15 pieds de haut, et de cent pas en cent pas, il y a des tours, quinze en tout. » « Le monastère, » ait ille, « est environné de fossés; il a un grand portail avec une grande et forte tour carrée; il est de plus entouré de quinze tours. Ces murailles de la clôture sont de belle pierre de taille de 25 pieds de hauteur; de cent en cent pas, une de ces tours. » Muris turribusque munitissimum erat monasterium; quumque, crebrescentibus et magis ac magis, saeculo XIV, invalescentibus bellis, camposque turbis mili-

tum, vulgo dictis *Grandes Compagnies*, longe lateque vastantibus, villae in planis circumfusae munirentur oporteret, magno muri turresque monialibus fuerunt praesidio.

Quum muros exstrui jusserit anno 1294, Stephanus Bisuntinus, duobus clausuris circumdatum monasterium videtur, cinctura videlicet muri quam proprie clausuram appellat Bernardus Guidonis, ambitu quoque monasterii, qui qualis esset nos edocet Johannes de Réchac (1) : « Le monastère, » ait, « est environné de fossés et a double porte. La première est comme suivie d'une grande allée qui aboutit à la seconde porte. Cette allée est des deux côtés accompagnée d'un petit fossé planté d'arbres. La seconde porte est forte, munie d'un pont-levis, et portant sur son arcade ou voûte, une haute tour à l'antique. » Ex quo, ambitus fuisse videtur vallum quo prata hortique monasterii a campis secluderentur aggeresque terrae caespitisque juxta vallum a parte monasterii congesti. Etenim, in actis visitationis, Petrus Guidonis hortum ante portam monasterii memorat « qui clauditur *parietibus terreis* et muro clausure (2). » Ergo, via qua Fanojovis Bromium ibatur, venientibus, primum obstabat porta prior, quam exteriorem visitationis acta appellant, et in qua quotidie, egenis a quatuor vel quinque millibus passuum accurrere solitis, eleemosinam dare fratres consueverant : « Detur eleemosina

(1) Joh. de Réchac, *op. cit.*, p. 194.

(2) *Visitatio*, f° 28, col. 3.

in ingressu porte exterioris, et exspectentur pauperes, quamdiu videbunt eos venientes (1). » Quam juxta portam, parvula erat domus in qua, ad ingressum custodiendum, donatus quidam ejusque famulus semper morabantur et pernoctabant postquam, signo completorii dato, portam claudere, clavesque in monasterium deferre procuraverant (2).

Trajecta vero porta, ambulacro per hortos directo, major monasterii porta petebatur. Juxta monasterii clausuram, prata, horti, viridariaque inter valla murosque patebant, unde legumina frugesque fratribus sororibusque suppeditabant. Ante frontem monasterii, occasum versus, hortus erat qui a Petro Guidonis fratribus est assignatus : « Hortus fratrum sit ille qui est ante portam monasterii, sicut clauditur parietibus terreis et muro monasterii, usque ad aquatorium monasterii, quod est juxta leudam (3). »

Latus autem septentrionale, ab adaquatorio usque ad alveum, qui juxta orientale latus defluebat, stringebat hortus sororibus deputatus, hoc duntaxat pacto ut, si insufficiens probaretur, in parte adversa, meridiem versus, alterum illis constitueretur viridarium : « Hortus autem sororum, » praecipiebat visitator, « erit de cetero de loco ubi terminatur hortus fratrum, sicut a predicto adaquatorio descendit clausura monasterii, usque ad alveum, cum augmento quod protendatur in latus alterius partis clausure ex

(1) *Visitatio*, f° 32, col. 3.

(2) *Ibid.*, f° 32, col. 2.

(3) *Ibid.*, f° 28, col. 3.

parte austri, usque ad coquinam infirmitorii fratrum (1). » Juxta latus meridianum erat pratum usque ad coquinam infirmitorii fratrum, unde patebat alter sororum hortus : « Quod in horto qui nunc dicitur et vocatur fratrum, » mandavit Petrus Guidonis, « juxta clausuram ex parte meridiei, fiat pratum, ab illa parte usque ad alveum quo transit rivulus, qui intrat per cameras privatas, et quod protendatur pratum usque ad coquinam infirmitorii fratrum. » Solum superest latus altanum versus positum, de quo in actis visitationis agitur his verbis : « In parte autem superiori, super rivulum plantentur arbores fructifere, et poterunt legumina, maxime sicca, seminari. » Ex quo evidenter apparet orientem versus, post ecclesiae absidem, viridarium, rivulo irriguum, excultum esse, universamque monasterii clausuram undique pratis, hortis et viridariis esse circumdatam.

Postquam ergo, trajecto fratrum horto, ante frontem monasterii erat perventum, monasterium intrare licebat porta majore, quam tantummodo portam vel portam interiorem vocat Petrus Guidonis. Quum « magnum illud portale » miraretur Bernardus Guidonis turrinque desuper cameratam portali supereminentem (2), animo concipere possumus quam gravis augustusque esset monasterii ingressus; quem eandem fere formam adhuc exhibere, saeculo XVII,

(1) *Visitatio*, f° 28, col. 4.

(2) Martène, *op. cit.*, p. 445.

testantur Johannes de Rechac et Combefort : « La seconde porte, » ait Rechac, « est forte, munie d'un pont-levis et portant sur son arcade ou voûte une haute tour à l'antique (1). »

Ab utraque parte ingressus, duo erant parva hospitia, unum scilicet in quo diu noctuque morabantur ostiarii, juxta portam interiorem; alterum, « domuncula juxta portam », in qua monasterium excipere consueverat « famulos adventicios fratrum vel secularium qui non sunt talis condicionis quod poni debeant in hospicio claustrum (2). » In alio quoque loco de istis vilibus famulis mentio fit « qui comedunt in parva quadam domuncula juxta portam (3). »

Monasterii portam ingredienti magnum patebat atrium sive area, quam circum omnia surgebant conventus aedificia : « Cette porte passée, » ait Jean de Réchac, « l'on entre dans une grande cour, et de là, vers les cloîtres. L'un d'eux côtoie d'une de ses ailes l'église des sœurs et conduit à la porte par laquelle on entre dans l'église des sœurs; l'autre, opposée, fait partie du cloître des frères, et ensuite l'église Saint-Martin à leur usage, afin d'y chanter l'office ni plus ni moins que les religieuses (4). » Ex quo, mente capere facile est quonam modo in clausura aedificia distributa fuerint :

(1) Joh. de Réchac, *op. cit.*, p. 194.

(2) *Visitatio*, f° 32, col. 3.

(3) *Ibid.*, f° 31, col. 3.

(4) Joh. de Réchac, *op. cit.*, p. 194.

1° ecclesia B. Mariae de Pruliano, adversa ingre-
dienti;

2° monasterium sororum, in parte sinistra;

3° monasterium fratrum, in parte dextra.

CAPUT VIII.

DE ECCLESIA ET MONASTERIO SORORUM.

Quamvis altera esset in monasterio ecclesia, videlicet S. Martini, in qua fratres sacris fungerentur divinumque recitarent officium, praecipua tamen longeque major et quasi caput monasterii erat ecclesia B. Mariae; quae sola proprie ecclesiae titulo decorabatur; quum altera tantum cella vel capella nuncuparetur. Quam quum ad orientem solem spectare rite deberet, sicut mos universus erat ecclesiis saeculo XIII exstructis, choro ad orientem, ima vero navi ad occidentem spectare, ejusque portam majorem monasterii portae respondere, et secundum monasticorum aedificiorum exstruendorum normas, a cornu evangelii monialium claustrum ecclesiae appositum esse, et ex parte sinistra ecclesiae portam intuenti, claustralia sororum hospitia stetisse, pro certo habemus; ex quo constat a cornu epistolae, et ex parte dextra portam ecclesiae intuenti, fratres suas sedes locasse.

In quam formam exstructa sit ecclesia, utrum

transversa navi instructa sicut ecclesia, saeculo XVII in novum aedificata, necne, utrum duobus navibus pilis divisis constiterit, ecclesiae ad instar quam eodem tempore, fratres Praedicatorum Tolosae extruxerunt, necne, utrum unam late patentem navim, in tres absidiolas desinentem, praebuerit, necne, sicut pleraeque tunc in Occitaniae partibus erectae ecclesiae, et, ut exemplis utar, Carcassonae et Castri-novi de Arrio S. Michaelis delubra, tacent tam concisa quam rara documenta. Tria tantum in ecclesia sororum memorat Petrus Guidonis, sacrarium, monialium chorum, navimque omnibus communem.

A reliqua ecclesia seclusus erat monialium chorum (1) cancellis ferreis *fenestra* vocatis, quibus discretae sacris aderant moniales, sacrasque audiebant orationes (2). Quia oportebat ab eis viderentur altare pulpituque, pro comperto habemus in parte sinistra ecclesiae, juxta ipsarum monasterium, existisse earum chorum. Ante fenestram nonnulli priores sepulti erant, Raimundus Catalani, Bernardus de Turnis aliique « qui jacent in ecclesia ad fenestram vel ante fenestram sororum (3). » Quam sepulturam sibi elegerant ut suum erga moniales affectum, quarum res, dum vivebant, procuraverant, etiam mortui ostenderent.

Ante sacrarium usque ad portam majorem, magna patebat navis in quam, quum ferreis cancellis seclusae

(1) De choro monialium in Actis Visitationis, f° 33, col. 1, mentio fit.

(2) « ...ad predicandum sororibus in fenestra. *Visitatio*, f° 33, col. 3.

(3) Martène, *op. cit.*, p. 455.

essent sorores, adire vulgo ita licebat, ut undique e circumvicinis partibus turbae venirent, multumque ab omnibus celebraretur Prulianense delubrum. Nonnulla sacella, aris munita, in ecclesia exstitisse ex eo apparet quod, postquam ecclesiam recentiore consecravit, die festo Epiphaniae, anno 1285, Arnaldus Seguerii, missam recitavit in altari *majori* (1), quod majus non dictum esset, si nulla alia minora ibidem exstitissent.

Ecclesiae muris, in parte sinistra applicatum erat claustrum, cujus porticibus aedificia, constitutionibus ordinis praecepta, imminebant. Capitularem aulam in claustro aedificatam esse compertum habemus, non solum quia necessaria erat, sed etiam quia postquam, sabbato 2^a die octobris 1305, Clemens papa V monasterium sero ingressus est, crastina die, mane « intravit claustrum et *capitulum* sororum (2). » In visitationis quoque actis de capitulo mentionem facit Petrus Guidonis, concisis his verbis : « in festo B. Blasii, anno eodem 1340, intravi capitulum sororum (3). »

Sed aedificiorum monasterii, longe nobilissimum maximumque membrum erat domus illa lapidea, quam « valde pulcram » Bernardus Guidonis, anno 1315, exstructam esse memorat, ut ibidem dormitorium infirmitoriumque monialium fierent (4). Quamvis nil

(1) Martène, *op. cit.*, p. 453.

(2) Martène, *op. cit.*, p. 455.

(3) *Visitatio*, f° 26, col. 3.

(4) Martène, *op. cit.*, p. 456.

obstaret quin in uno eodemque aedificio dormitorium infirmitoriumque existerent, alterum tamen ab altero omnino divisum esse, compertum habemus ex eo quod, in omnibus Praedicatorum fratrum et nominatim in Prulianensi fratrum coenobiis, testantibus visitationis actis, a ceteris monasterii partibus ita seclusum erat infirmitorium ut suas cellas dormitoriumque, in quibus jacerent aegrotantes, aulam, in qua carnis vescerentur non solum infirma valetudine, sed etiam senio gravati, coquinam, in qua carnes conficerentur, proprias haberet infirmitorium. Dormitorium quoque in domo erat lapidea, immensae scilicet aedes in quibus in duobus ordinibus sibi invicem adversis, 160 lectuli, parvo inter se relicto intervallo, dispositi erant. Constitutionibus enim ratum erat non in propriis cellis, sed in communi dormitorio omnes moniales jacere debere : « Nulla quae in communi tolerari possit, habeat specialem locum ad jacendum, » nisi tamen munere in conventu fungatur, « in quo casu, non minus quam tres jaceant in loco praedicto (1). » Propterea, etsi nulla monialium cella in actis visitationis memoratur, nonnullas tamen, tribus lectulis instructas, extitisse compertum habemus, in quibus jacerent moniales, quibus in dormitorio communi non jacere liceret.

In alia claustrum parte, conventus erant aedificia, quae a B. Dominico ejusque primis successoribus exstructa,

(1) *Constitutiones sororum ordinis Praedicatorum*. Romae, 1650, art. 9.

multo minus perampla augustaque fuisse videntur quam domus illa lapidea, cujus magnitudinem singularem miratur Bernardus Guidonis; imo, quum lapidea sola dicatur domus, anno 1515 aedificata, ut hoc solo vocabulo semper nominetur, verisimile est non lapideas fuisse ceteras conventus aedes, quae parvae humilesque, in mentem revocabant humilia parvae conventus incunabula. In quem usum accommodata fuerint, affirmare non ausim; quum enim *ad extra* monasterium visitaverit, anno 1540, Petrus Guidonis, solumque inquisiverit quomodo bona gererentur, temporaliaque procurarentur, raroque monialium conventum intraverit earumque vivendi rationem examinaverit, paucas de monialium domibus notitias in suae visitationis actis conscripsit.

Ibi tamen fuisse verisimile est alia monasterii regularia loca, refectorium scilicet et coquina communis. Quoniam constitutionibus provisum erat, omnes in aula communi prandere et coenare debere, refectorium, et illud ita magnum ut centum sexaginta monialium in duobus ordinibus adversis positarum, capax esset, necessarium erat, quod quidem memoratur a Petro Guidonis, inquirente quaeenam expendi solerent « pro refectorio monasterii (1). » Suam quoque coquinam sorores habere, clare demonstrat granaterius, qui in rationibus suis, ponit « 9 modios, 8 sextarios de leguminibus expensis in monasterio per fratres et sorores, in coquinis fratrum

(1) *Visitatio*, f° 14, col. 2.

et sororum (1). » Quae refectorio proxima fuisse opinanda est.

Operibus quoque manuum vacasse moniales, dum divino obsequio non essent mancipatae, constitutiones his verbis nos edocent : « Quia ociositas inimica est animae, et mater, et nutrix vitiorum, nulla sit ociosa, sed diligenter observetur ut, exceptis illis horis et temporibus quibus orationi, vel officio, vel aliae occupationi necessariae debent intendere, operibus manuum ad utilitatem communem omnes insistant, prout fuerit ordinatum (2). » Propterea, Petrus Guidonis, quum visitationis officium, anno 1340, adimplevit, moniales invenit lanam nentes, quae textoribus tradita, in vestes conventuales convertebatur : « Interrogati (ostiarii) quomodo providetur sororibus de vestibus, et si sufficienter, et de communi, et bono panno habent vestes, responderunt quod, omni anno, traduntur eis 15 quintalia lane munde, lote et bene electe, quam lanam ipse nent et filant, juxta consuetudinem antiquam monasterii, et mandatum expressum sancti patris nostri Dominici, qui mandavit eis ut nerent et filarent in horis in quibus non sunt divino officio occupate, ut sic ab eis ociositas, que multa mala docuit, vitaretur (3). » Ergo, magnae erant in monasterio aedes in quibus simul, cum silentio (4), operibus manuum vacarent ; regula enim

(1) *Visitatio, ibidem.*

(2) *Const. sororum ord. Praedic.*, cap. 19.

(3) *Visitatio*, f° 14, col. 4.

(4) « Laborent autem cum silentio. » *Constitutiones*, cap. 28.

ratum et firmum habebatur ne ulla secreto, in propria cella, laboraret : « Nulla recedat a communi laborerio sine licentia et necessitate (1). » Sed ubi esset laborerium illud commune, tacent Prulianensia documenta; quum tamen recentiora monasterii aedificia infirmitorium et dormitorium tantummodo caperent, ex his apparet in antiquiore monasterii parte existisse laborerium, fortasse in priore dormitorio, quod, novo creato, derelictum erat.

Stricta clausura custodiebantur sanctimoniales, a temporibus praesertim prioris Raimundi Catalani, qui « sorores inclusas inclusit amplius (2) » sicut apud Bernardum Guidonis legitur. Eadem enim regula quae anathematis et excommunicationis vinculis innodabat monasterio egredientes, « nisi propter periculum ignis vel ruinae, vel latronum, vel malefactorum aut similium eventuum, quae solent vergere in periculum mortis (3), » solos regem, reginam, metropolitanum et ordinarium episcopos, S. Sedis legatos, cardinales patronosque aedificia monasterii ingredi sinebat. Magnum igitur magnique momenti erat officium custodiendarum monialium, quo fungebantur ostiarii (4). In porta sororum moras agere consueverant ostiarius seu portarius, frater ordinis Praedicatorum, qui clausurae tuendae, arcendorum-

(1) *Ibidem.*

(2) Martène, *op. cit.*, p. 453.

(3) *Const. sororum ordinis Praedicat.*, cap. 30.

(4) *Ibid.*, cap. 29. « Non sit autem in clausura sororum nisi *unum* ostium forte et bonum. »

que eorum quibus aedificia ingredi non liceret, munus incumbebat, ejus socius, et octo famuli conductitii, tres scilicet textores, qui ad vestiendas sorores, e lana quam ipsae prius neverant, pannos texebant, duo *vuatarii* « quorum officium erat discurrere per villas et castella pro ovis et gallinis emendis, ad opus pitancie sororum tam sanarum quam infirmarum, » pastor qui vervices in infirmitorio ab aegrotantibus senioque gravatis sororibus edendos, pascebat, et duo hortulani « qui sororum hortis invigilare debebant (1); » multumque verisimile est sacristam et ipsum ibidem morari solitum esse, quippe cujus munus esset omnibus adesse sermonibus, quos in porta cum extraneis sorores haberent. E quibus tamen omnibus neminem in porta prandere vel coenare solere, sed fratres in fratrum refectorio cum fratribus, operarios cum operariis constat; sed ad majorem custodiam habendam, illos ibidem pernoctare comperitum est.

Juxta cujus portae aedificia, hospitium erat claustrum, in quo excipi solebant parentes sororum vel eorum propinquae et amicae; praecipiebat enim Petrus Guidonis ut « socius portarii sororum semper haberet ex officio servire dominabus in domo ad hoc deputata, si forsitan aliquando contigerit aliquas de parentala aut familiaritate sororum, pro prandio in monasterio remanere (2). » Quum in actis visitationis,

(1) *Visitatio*, f° 26, col. 2.

(2) *Ibid.*, f° 25, col. 2.

Petrus Guidonis minime referat in hospitio coenare vel pernoctare posse sororum hospites, imo ullum in monasterio pernoctare, nisi regina magnaëque conditionis esset, alibi vetaret (1), opinandum est hospitium nullas cellas, sed aulam solam praeuisse.

Quomodo autem cum personis ipsas adeuntibus, sermocinari possent, regula cautum erat : cancellis enim ferreis, acutisque clavis munitis, omninoque illis similibus *fenestra* vocatis, quibus ab ecclesia chorus sororum dividebatur, a secum colloquentibus secludebantur moniales. In actis enim visitationis, *fenestra* refertur « per quam religiosi, vel seculares viri, seu mulieres locuntur sororibus (2) » quamque, etsi tantum a Petro Guidonis memoretur, mente tamen nobis effingere possumus ex hujusmodi constitutionum verbis : « Poterit haberi aliquod locutorium ad loquendum cum extraneis, in aliquo loco convenienti, ubi aptetur fenestra ferrata... ad praedictam fenestram majorem, fieri poterunt locutiones cum extraneis, ubi hujusmodi locutorium non habetur. Porro, omnes supradictae fenestrae vel fenestrulae ferratae sic disponi debent, vel per duplicationem ferraturae, vel per acutos clavos, quod inter interiores et exteriores, nullus possit intervenire contactus. Item, omnes fenestrae vel fenestrulae debent interius habere ostia lignea bona cum clavibus diligenter firmanda (3). »

(1) *Visitatio*, f° 33, col. 4.

(2) *Ibid.*, f° 13, col. 2.

(3) *Const. sororum ord. Praedic.*, cap. 29.

Itaque solo praedicto ostio cum exteris communicabant moniales, e quo tamen nunquam exire licebat ita ut, ne mortuis quidem illis monasterium relinquere fas esset, quum in ipsius monasterii claustro sepelirentur; meritoque *incarceratae* seu *muratae* vocarentur, regiosque inquisitores anno, 1425, missos, aliquis testis interrogatus his verbis de monialibus edocere potuerit: « Dicte sorores fuerunt et sunt solite esse recluse et murate infra dictum monasterium, et nunquam a claustro, vel reffectorio, dormitorioque et ecclesia et aliis hedificiis infra cepra eisdem assignata, exeunt, neque exire consueverunt, ymo usque ad finem mundi de dicto monasterio non exient, donec veniat illa vox: « *Venite, benedicti Patris mei, percipite regnum quod vobis paratum est ab origine mundi* (1) ! »

Quam vero strictam clausuram strictiorem effecit Petrus Guidonis. Quum enim animadvertisset aedibus monialium imminere horrea, e quibus in claustro deambulantes viderentur inclusae, mandavit « quod murus de tegulis fieret et elevaretur supra portam custodie sororum, ab ecclesia usque ad granerium, quantum videlicet turris ipsius granerii elevata esset (2). » Strictissime igitur clausa, et a secularibus negotiis omnino seclusa, ab altano et aquilone muris Prulianensibus applicata, a monasterio fratrum ecclesia B. Mariae divisa, et in aream prospici-

(1) Atac. tabul., Docum. Prulianensia. Inquisitionis acta, anno 1425, factae.

(2) *Visitatio*, f° 34, col. 1.

cientia, in universo prioratu Prulianensi, proprium secretumque corpus, in monastica vero illa civitate, arx, ut ita dicam, tutissima, in sacris Deoque dicatis illis domibus, verendum et impenetrabile adytum, efficiebant monialium aedificia.

CAPUT IX.

DE FRATRUM PRAEDICATORUM MONASTERIO.

Alterum monasterium, a ceteris prioratus aedificiis et ipsum bene clausum, habitabant fratres Praedicatorum, monialium spiritalia temporaliaque procurantes. Quod ubi situm et quomodo exstructum esset ab inquisitoribus, anno 1425, eodem missis, postquam de monialium conventu actum est, infrascripto modo declaratur : « *Ab alia vero parte dicti monasterii* manent religiosi viri, prior, confessores et alii fratres Praedicatorum, servitores et alie persone necessarie ad regimen ; » unde fit ut ab altera parte ecclesiae, dextra portam ecclesiae intuentis, altanum meridiemque versus, Prulianensibus muris applicatum, surgebat fratrum monasterium.

Ab aedificiis monialium ita separatum esse, ut excepto priore, omnes alii fratres fenestris tantum ferratis in porta sororum vel in ecclesia positis, cum monialibus loqui possent, sive eis verbum Dei praedicarent, sibi ipsas audirent confitentes, inquisitione anno 1425 facta, evidenter comprobatur : « *Ab alia*

parte dicti monasterii et extra muros dictarum sororum manent religiosi viri ; » et inferius multo clarius alius testis interrogatus, sic loquitur. « Cuilibet inthuenti apparere potest quod dicte sorores moniales sunt ab uno latere dicti monasterii recluse et incarcerate, et ab alio latere ejusdem monasterii est claustrum, ecclesia, et habitatio prioris, confessorum et aliorum fratrum Praedicatorum atque fratrum laycorum et servitorum dicti monasterii, ita quod non est accessus vel aspectus inter eos. » « Dicti fratres, » ait alius testis, « morantur ceperati et extra muros dictarum dominarum monialium, nec est mutuus accessus inter se, nisi quod de aliquibus foraminibus valde exiguis, dicte domine moniales audiunt missas et vident Deum in earum ecclesia memorata... de una ecclesia (sororum videlicet) ad aliam ecclesiam (fratrum), quantumcunque alta voce clamando, non possent nec possunt se invicem exaudire, quia in medio sunt plures muri, claustrum ac distantia magna, prout loco oculis subjecto cuilibet inthuenti notorie apparet (1). »

Quaenam vero fuerint praecipua monasterii aedificia eadem declarat inquisitio : « Prior et fratres Predicatores habent eorum *ecclesiam, claustrum, refectorium* et alie *officine* pro ibi morando necessarie (2) » et in quem ordinem ponerentur in unumque cohaerent, sic describit Johannes de Réchac : « Il y

(1) Tabul. Atac., Docum. Prulianensia. Acta inquisitionis, anno 1425, factae, *passim*.

(2) *Ibidem*.

a un cloître qui côtoie d'une de ses ailes le long de l'église, et conduit à la porte d'icelle; à l'autre aile, qui est apposite, il y a un autre cloître des pères, et ensuite d'icelui, l'église de Saint-Martin, destinée pour eux, afin d'y chanter l'office ne plus ne moins que les religieuses (1). » *Claustra dividebat magna domus lapidea, quae, orientali parte, orientali muro Prulianensi applicata, una cum ecclesia B. Mariae, ex una parte, et ecclesia B. Martini, ex altera, occidentem versus, tractu pari, extendebatur. Refert enim Bernardus Guidonis a priore Arnaldo Johannis Caturcensi magnam illam domum lapideam ex parte ecclesiae sororum, videlicet ante ecclesiam S. Martini, aut potius inter ambas ecclesias exstructam esse « cujus domus, ex parte orientali, fuit aedificium inchoatum anno Domini 1302 (2). » In hunc igitur modum prius claustrum exstructum esse videtur, ut, in latere septentrionali, ecclesiae majori appposito, aedificata exstaret, ut refert Johannes de Réchac, « l'aile qui côtoie le long de l'église et conduit à la porte d'icelle; » in quo septentrionali claustri latere, porta pastescebat, per quam ecclesiam B. Mariae ingrediebantur fratres Praedicatores.*

Ex adverso erat domus lapidea a Bernardo Guidonis memorata, quae inferiores superioresque aedes praebebat. In inferiori domo, cellarium erat quod, quia commune erat fratribus et moniali-

(1) Joh. de Réchac, *op. cit.*, p. 99.

(2) Martène, *op. cit.*, p. 445.

bus, magnum valde fuisse videtur, quippe quod vinum caperet quotannis 160 monialibus, 25 fratribus, 50 famulis, 255 personis videlicet, necessarium. Quum ex una, quotidie, conventui monialium duo saumatae et dimidia (1) vini distribui solerent, 250 videlicet *litra*, et anno singulo circa 910 *hl.* biberent moniales, et ex altera, si pro certo habeas tantum ad minus quantum moniales, bibisse fratres, addendi sint circa 500 *hl.* fratribus operariisque tradita, cellarium caperet oportebat 1,400 vel 1,500 *hl.*, quotannis universo necessaria monasterio. Quibus addenda sunt cetera cibaria ignisque alimenta. Omnia quoque in eo erant quae ad colligendas uvas, vindemiamque premendam erant utilia; torcular enim memorat Bernardus Guidonis quod, quia inter ceteras refertur Arnaldi Johannis Caturcensis aedificationes, caementicium fuisse videtur (2). Ceterum, ex hiis quae dicit Bernardus, ingens et magnificum comprobatur, quum magnum testudinatam et per totam inferiorem domum lapideam, ab Arnaldo aedificatam, patens dicatur: « Inferius vero est magnum cellarium cum testudine (3). »

Hospitibus conversisque fratribus servata erat superior domus in qua « superius erat dormitorium cum cellis pro fratribus hospitibus et conversis (4). » Conversis dormitorium, fratribus autem hospitibus cellas

(1) *Visitatio*, f° 14, col. 2.

(2) Martène, *ibidem*.

(3) *Ibid.*

(4) *Ibid.*

aptatas esse, regula nos edocet, quippe qua cautum esset ut in communi dormitorio conversi, sicut et fratres professi, jacere deberent. « Nullus, magistro ordinis excepto, qui in communi tolerari possit, habeat specialem locum ad jacendum, » addebaturque in constitutionum explanatione diffusiore: « Declaramus quod omnes fratres nostri, magistro ordinis et infirmis atque *hospitibus* duntaxat exceptis, debent in communi dormitorio dormire... Qui autem extra dormitorium sine licentia dormire praesumpsiret, debet a suo praelato graviter puniri, Narbonae 1394, et in multis aliis capitulis (1). »

E contrario, in suis propriis cellis hospites excipiendos esse provisum erat; qui, quoties agitur de dormitorio communi, nominatim excluduntur et in cellis secretis, non in dormitorio, excipi soliti, in mandatis magistri Humberti declarantur (2).

Hospitium hoc erat fratrum hospitem, saepius in actis visitationis memoratum, in quo aula quoque exstissime ex eo compertum habemus, quod ab Humberto pro certo semper habetur simul in hospicio omnes prandere coenareque solere fratres hospites. « In parandis, et serviendis, et removendis mensis, et colligendis reliquiis et reponendis tam illis quam cyphis et aliis hujusmodi, observanda sunt ea quae supra dicta sunt circa refectorium..... habendus est etiam aliquis liber in hospicio aedificatorius in promptu, in quo,

(1) *Const. ord. frat. Praedic.*, cap. 9.

(2) Magistri Humberti liber *de instructione officialium ordinis fratrum Praedicatorum*, cap. 28.

dum comeditur, legi possit interdum aliquid ab aliquo, si visum fuerit expedire (1). » Non adeo magna erat aula hospitii; in qua soli edere poterant priores, suppriorum, lectoresque, ceteris fratribus hospitibus, etsi sacerdotes erant, in refectorio edere solitis (2).

Juxta quod fratrum hospitium, alterum erat secularium hospitium in monasterium venientium; nam apud Petrum Guidonis de his « agitur famulis adventiciis fratrum vel *secularium*, qui non sunt talis conditionis, quod poni debeant in hospicio claustrum, » quique alibi collocabantur, dum ipsorum domini seculares in suo hospicio claustrum excipiebantur.

Prope hospitium (3), in latere quo ab altano claudatur claustrum, posita erat coquina fratrum; nam in monasterii, saeculo XVIII, delineata forma nostrisque adhuc temporibus, Pruliani asservata, praeter orientalem murum ponebatur, ubi priusquam in novam formam redactum est monasterium, ex eo extitisse videtur quia prope cameras privatas, in visitationis actis, sita dicitur, cameraeque privatae in muro erant orientali.

Juxta coquinam, in muro monasterii, una e turribus quae clausurae imminabant, diversis et inter se discrepantibus usibus aptata erat, quippe quae « locum privatorum, camerasque privatas » tegetet. Binas fuisse cameras privatas, alteras in turri inferiori,

(1) Magistri Humberti, *op. cit.*, cap. 28.

(2) *Visitatio*, fol. 13, col. 3.

(3) *Visitatio*, f° 34, col. 1. « Hospitium fratrum quod est prope coquinam. »

— nam memoratur locus privatorum « qui habet ingressus per porticum coquine (1) », — altera autem in turri superiori, — nam Petrus Guidonis refert « cameras privatas pro dormitorio fratrum (2) », quod in superioribus domibus in, Praedicatorum monasteriis, erant, actis visitationis inferre licet, superioresque ita inferioribus imminebant ut utrumque stercora immunditiaeque eadem via in rivulum caderent qui, jubente Stephano Bisuntino, a fonte Prulianensi deductus, « per cameras privatas intrabat (3) » monasterium, et per campos deinde discurrebat. In summa autem turri, tabularium erat, in quo magna semper sed multo majori cura post Petri Guidonis visitationem, custodiebantur monasterii monumenta et iumenta quae, quum jura, privilegia, possessionesque monialium demonstrarent, et ab omnibus invasoribus defenderent, maximi erant momenti. Propterea, anno 1258, magister generalis Humbertus omnibus Praedicatorum conventibus praeceperat ut omnium suorum archiviorum indices scribere procurarent : « Quod fiat unus liber, in quo... cartae... registrentur (4). » Quanti pretii esset archivium, non minus quam magister generalis perpendens Petrus Guidonis, « adeo irreparabile, et inestimabile, ac inapreciabile dampnum, quod Deus avertat » fore existimavit si incendio, vel madore

(1) *Visitatio*, f° 28, col. 4.

(2) *Ibid.*, f° 34, col. 2.

(3) *Ibid.*, f° 28, col. 4.

(4) Martène, *Thes. nov. anecdot.*, IV, col. 1723.

consumerentur, seu negligentia disperderentur instrumenta privilegiaque, ut, quum bina tantum aedificia construi seu refici jusserit, praeceperit tamen « quod pro securitate et custodia instrumentorum et munimentorum jurium monasterii, turris in qua sunt camere private pro dormitorio fratrum clericorum, cum consilio magistrorum testudinetur omnino, cum hujusmodi munimenta in loco superiori ad prefatas cameras, usque hodie conservata, propter periculum ignis non habeant tutum locum (1). »

Quo prioris provincialis praecepto satis clare demonstratur non testudinatas, sed materia tegulisque tectas esse turrim archiviorum, et a fortiori ceteras monasterii turres, quum et ipsa testudinata non esset, quae instrumenta continens conventus, prae ceteris testudinaretur oporteret.

In parte meridiana clausurae, alterum positum erat fratrum claustrum, domo lapidea ab aquilone, ecclesia S. Martini ab austro, ceterisque domibus ab altano et circio circumdatum, in quo erecta esse videntur aedificia, regula in omnibus monasterii exstrui jussa; imprimis capitularis aula quae, ut mos erat in plerisque saeculo XIV monasteriis, in latere claustrum esse debebat, quod a cornu evangelii, ecclesiam recta linea, ad perpendicularum attingebat. Attamen illam ibidem exstitisse pro certo affirmare non ausim, nulla de illa reperta mentione in visitationis actis ceterisque Prulianensibus documentis, fierique protest,

(1) *Visitatio*, f° 34, col. 1.

ut, quamvis officium, monastico ritu, diu noctuque in ecclesia una omnes recitarent, capellani, propriis utentes regulis, potius quam monachi omnes ordinis constitutiones adimplentes, habiti sint fratres Praedicatorum Pruliani morantes.

De fratrum refectorio multo magis edocti sumus, quod in claustralibus aedificiis non solum ab inquisitoribus, anno 1425, missis, sed etiam in actis visitationis, anno 1540, pluries referatur, nominatim quum a Petro Guidonis praeceptum est ut, nisi essent lectores, superiores vel priores, omnes fratres advenientes, in refectorio communi edere deberent (1). Pro certo habemus, attentis monasterii necessitatibus, juxta coquinam constitutum esse refectorium; quae quum in muro orientali, haud procul a turri chartularia sita esset, ibidem situm esse verisimile est refectorium, in parte claustrum orientali.

Quorum aedificiorum partem superiorem occupare debebat commune dormitorium, juxta turrim in qua erant « camerae privatae pro dormitorio fratrum (2). » Ceterum, quum de sororum hospitio tractavimus (3), nobis constitit in aedificiis inferioribus refectorium multaque alia fuisse, in superiori autem loco, dormitorium.

In parte claustrum meridiana, aedificata erat capella B. Martini quae, ut ecclesia B. Mariae domusque lapidea, tractu pari, ab altano in circium vertebat, ut

(1) *Visitatio*, f° 13, col. 3.

(2) Cf. *supra*, p. 142.

(3) Cf. *supra*, p. 129.

refert Joh. de Réchac, mosque erat in ecclesiis saeculo XIII aedificatis. Quae quum *capella fratrum* potius quam *ecclesia* diceretur multo minor quam ecclesia sororum fuisse videtur; nec mirum: etenim celebre et ab omnibus e longinquo venientibus B. Dominico devotis frequentata erat ecclesia B. Mariae, Prulianensisque monasterii sacrarium, privatum autem oratorium, in quo soli fratres divinum recitarent officium, sacrisque interessent, erat capella B. Martini ita ut oratorium secretum ista, ecclesia autem conventualis et quasi parochialis illa, quodam modo haberentur. « La chapelle de S. Martin, » ait Joh. de Réchac, « était à l'usage des religieux, afin d'y chanter l'office, ne plus ne moins que les religieuses. On voit, dans cette église, un double chœur à la façon des chartreux, l'un est pour les prêtres, et, au bout, est celui pour les religieux (1). »

In eadem parte ubi capella erat, infirmitorium quoque fratrum existebat. Nam quum, anno 1340, Petrus Guidonis hortos inter fratres monialesque divisit, sororibus assignavit hortum juxta murum usque ad *coquinam infirmitorii fratrum* projectum: « Hortus autem sororum erit de cetero de loco illo ubi terminatur hortus fratrum..., cum augmento quod protendatur in latus alterius partis clausure *ex parte austri, usque ad coquinam infirmitorii fratrum* (2). » Ex quo constat muro ipsi applicatum esse infirmito-

(1) Joh. de Réchac, *op. cit.*, p. 199.

(2) *Visitatio*, fol. 28, col. 4.

rium ipsamque fratrum monasterium. Ut in infirmitorio sororum, in infirmitorio quoque fratrum propria erat coquina, ubi carnes parabantur, in coquina communi ovis, piscibus leguminibusque confectis; aula quoque in qua soli edebant illi quibus aetate vel morbo debilibus, carnibus vesci licebat (1); cellae quoque, in quibus trini jacere solebant aegrotantes.

Quamvis nulla in actis visitationis ceterisque documentis mentio inveniatur, verisimile tamen est officinam quoque in infirmitorio fratrum exstitisse, in qua remedia medicorumque praecepta executioni mandarentur. Quum enim « ut promptius fieret ordinatio et executio receptarum medicorum, teneretur in monasterio unus expertus apothecarius secularis, cui de omnibus pro suo officio per receptorem pecuniarum completissime provideretur (2), » et ex altera parte, monasterium monialium ingredi, ibidemque in infirmitorio remedia parare, apothecario non liceret, a clausura monialium viris sedulo amotis, constat in infirmitorio solo officinam fuisse apothecarii.

Alia quoque aedificia in claustro fratrum sita, a Petro Guidonis memorantur :

Imprimis domus donatorum, (3) in cujus aula edere, dormitorioque communi jacere omnes una constitutionibus cautum erat, quae non adeo magna fuisse videtur, quum in grangiis rusticisque praediis

(1) *Visitatio*, fol. 29, col. 2.

(2) *Ibid.*, fol. 14, col. 3.

(3) *Ibid.*, fol. 16, col. 4.

plerique morarentur donati et e triginta, decem tantum in monasterio remanerent (1); sed loco donatorum, monasterio absentium, in domo donatorum excipi solebant, quotiescumque monasterium adibant, prioris provincialis clerici, apothecarius, barbitonsores, et Fanojovii mercatores.

2° *Domus* vulgo *gabie* dicta, quae cur ita nominata sit parum liquet, quum *gabiam* Cangius carcerem interpretetur, nullusque carcer in Prulianensi monasterio memoretur, famulique non captivi ibidem excipi solerent. Nam ut in domo gabiae ederent sutores, textores, ceterique operarii conductitii, praecepit Petrus Guidonis (2), totaque monasterii familia : « Familia (portarii sororum) comedat mane et vespere, cum alia familia monasterii, in domo que vulgariter gabia nuncupatur (3). »

(1) *Visitatio*, fol. 16, col. 2 : « Sunt in monasterio... triginta donati de quibus decem sunt burelli. »

(2) *Ibid.*, fol. 30, col. 4.

(3) *Ibid.*, fol. 26, col. 2.

CAPUT X.

DE MONASTERII OFFICINIS.

Praeter ecclesiam, claustrum, refectorium, dormitorium, ceteraque regularia loca a testibus, anno 1425, citatis, memorantur in monasterio fratrum « aliae officinae pro ibi morando necessariae (1), » de quibus, anno 1540, sedulo inquisivit Petrus Guidonis. Sed antequam perspiciamus quomodo inter se cohaerent, primo quaerendum est ubi universae collocatae essent. Neque in septentrionali, neque in orientali, neque in meridiana parte prioratus positae hoc demonstrantur quod orientali muro monialium monasterium, ecclesia B. Mariae, turris chartularia, refectorium et dormitorium fratrum; septentrionali, inclusarum pars monasterii; meridiano, infirmitorium fratrum et ecclesia S. Martini ita applicata erant, quod unum tantum restaret spatium in quo officinae exstrui potuerint, spatium scilicet porta majori prioratus frontibusque fratrum

(1) Tabul. Atacin., Docum. Prulian.

sororumque monasteriorum, et ecclesiae B. Mariae, murisque septentrionali meridianoque clausum *area-que Pruliani* dictum, quam circum officinae, juxta murum occidentalem, ex utraque parte ingressus, exstructae erant.

Quae opinio confirmatur forma monasterii, saeculo proxime elapso, descripta, nostrisque adhuc temporibus, Pruliani asservata, in qua molendina in duobus turribus, altanum versus, posita esse videntur.

In angulo N.-O. clausurae, nonnullae positae erant officinae, horrea videlicet, palerium, molendina, stabulum et fabrica, quae inter se cohaesisse videntur, non solum quia unaquaeque ceteris necessaria erat, sed etiam quia ab eodem regebantur moderatore, fratre Guillelmo Guilaberti, « granaterii magistro, qui etiam habet curam stabulorum equorum et quadrigarum (1). »

Muro septentrionali applicatum erat *granerium* seu horreum; nam monasterium monialium attingebat (2) eique imminebat turris horrei, una e quindecim turribus quae in muro clausurae ponebantur. In magna horrei aula, omnes fruges asservabantur quae sive e grangiis missae, sive a colonis prioratus solutae, ad victum conventus necessariae erant. Quum ad panes monialium, fratrum et grangiariorum conficiendos, quotannis 250 modii et 3 sextarii frumenti expenderentur, « transmissi ad molendina monas-

(1) *Visitatio*, fol. 17, col. 1.

(2) Cf. supra, p. 135.

terii pro molendo et pane inde faciendo in furno monasterii (1), » ceteraeque viliores fruges adhiberentur ad secundarios panes fiendos et animalia enutrienda, sive ad solvenda stipendia, tributa, aut eleemosinas distribuendas, ita ut « summa summarum omnium bladorum expensorum 529 modios 15 sextarios (2), » expleret, ad tantam annonam capiendam, ampla fuisse horrea monasterii opinanda sunt.

Juxta horreum, palerium erat in quo paleae frumento avulsae, ut nutrirentur equi vel ignis in furno conflaretur, servabantur. In superioribus aedificiis horreum paleriumque sita esse pro certo habemus, non solum quia horrei turris monasterio monialium imminebat (3) sed etiam quia ad vitandos madorem germinatumque frumentorum hic situs optimus erat. In inferiori autem domo, stabulum erat, et per descensum e palerio in stabulum paleae immittebantur.

Antequam Petrus Guidonis, anno 1540, monasterium visitavit, duodecim equi in stabulo erant, quatuor videlicet sellarii, qui a Petro Guidonis necessarii habiti sunt, sive ut equitando fratres itinera facerent, sive quo ad grangias faciliior esset aditus; nam servari jubet « duos famulos pro equis quatuor de sella (4); » octo quoque equi duarum quadrigarum

(1) *Visitatio*, fol. 17, col. 2.

(2) *Ibid.*, fol. 17, col. 2.

(3) Cf. *supra*, p. 135.

(4) *Visitatio*, fol. 30, col. 3.

quos ad quatuor redegit, una quadriga suppressa, hoc tamen pacto quod, praesente priore, alius equus adderetur (1). Certis tamen temporibus, quum per campos stercus spargebatur aut vindemia segetesque colligebantur, alienos equos conducere monasterii procurator solebat; nam in expensis ponit magister granaterius victum equorum « qui portant vindemiam et fimum (2). » Regularium quoque et saecularium personarum, quae in monasterio hospitabantur, equi in monasterii stabulo ponebantur quorum victus tanto sumptui erat ut « decem modios ordeï et avene pro animalibus hospitem et extraneorum (3) » expendendos esse, anno singulo, provideret magister granaterius, et Petrus Guidonis expresse, anno 1540, ediceret : « quod hospitibus supervenientibus, qui non sunt homines reverentiae vel quibus non est monasterium obligatum, non detur ordeum vel avena de mane, nec etiam de nocte alicui, nisi de licencia speciali prioris vel ejus vicarii, et tunc ita moderate quod reprehendi non debeat de excessu (4). » In stabulo duo strati erant lectuli duobus famulis qui diu noctuque equis invigilare debebant : « statutum est quod pro quatuor animalibus..., duo tantum famuli habeantur qui jaceant in stabulo (5). »

Juxta stabulum locus erat in quo duae quadrigae tegebantur, quarum unam supervacua suppressi

(1) *Visitatio*, fol. 30, col. 3.

(2) *Ibid.*, fol. 17, col. 3.

(3) *Ibid.*, fol. 17, col. 3.

(4) *Ibid.*, fol. 30, col. 3.

(5) *Ibid.*, fol. 30, col. 3.

jussit Petrus Guidonis; bastum quoque, quo facilius, secundum visitatoris mandata, « equi de quadriga possent saumeria interdum fieri pro oneribus portandis cum basto (1); » omnia denique quae ad quadrigarios vel sellarios equos aptandos necessaria erant.

Non mirum est proxima horreis fuisse molendina quae, in forma monasterii, saeculo XVII, descripta, in duobus turribus angulo N.-E. clausurae imminetibus, posita esse videntur. Sed quamvis non ita facile sit praecise declarare, ubi, anno 1540, sita essent, plane tamen novimus quatuor fuisse, sitaque esse ante portam monasterii infra clausuram (2); ex quo fit ut molendinorum domus, muro clausurae juxta portam applicata, adversa esset sororum portae et ecclesiae B. Mariae, nec ab aquilone murum attingeret monasterii, quum suum proprium haberet murum septentrionalem, anno 1540 reficiendum (3). Vento mota molendina comprobantur non solum quia nullus aquae decursus hinc transibat quo molae agerentur, sed etiam quia molendinorum vela referunt visitationis acta. Quod omnibus minime mirum est qui peragraverunt totam planitiem a Carcassona usque ad Castrumnovum de Arrio patentem, in qua, ventis acerrimis saepenumero ventilata, nostris adhuc temporibus molendina vento agitata haud rara apparent. Quum tantum, diebus dominicis vel festi-

(1) *Visitatio*, fol. 30, col. 3.

(2) *Ibid.*, fol. 30, col. 1.

(3) *Ibid.*, fol. 30, col. 1.

vis, operibus vacarent molendinarii, eisque liceret molendina exire et in domo vulgariter gabiae nuncupata, mane et vespere edere cum cetera monasterii familia, cellae in superioribus molendinis paratae erant in quibus, diebus operariis, ederent atque jacerent (1).

Molendina fabrica contingebat; nam cameram in fabrica superiori et prope molendina sitam memorat Petrus Guidonis (2). Neque multum a stabulo distans fuisse videtur; nam ad quadrigas aptandas seu reficiendas fabrorum opera adhibenda erat, Guillelmusque Guilaberti in expensis ponebat sex libras « pro ferro quadrigis necessario et pro animalibus quadrigarum ferrandis (3). » Quum magistro fabricae subditum Petrus Guidonis referat « unum famulum qui operatur *quotidie* cum fratre Vitali fabro in fabrica (4), » opinandum est raro a labore vacasse fabricam. Propterea in superiori tabulato, in eadem in qua jacebat magister molendinorum, camera, ipse quoque jacere consueverat fabricae magister: « Ipsi duo fratres jaceant superius in camera ad hoc ordinata, quae est prope molendina (5). » In eadem igitur camera jacentibus horreorum et fabricae magistris, magistroque granaterio subdito fabro a Petro Guidonis, qui edixerat quod e duobus fratribus « unus

(1) *Visitatio*, fol. 30, col. 1.

(2) *Ibidem*.

(3) *Ibid.*, fol. 17, col. 3.

(4) *Ibid.*, fol. 30, col. 3.

(5) *Ibidem*.

esset principalis et adverteret de molendinis, et alius esset frater qui esset faber (1), » fabricam constat molendinis esse connexam.

Haud longe ab horreis et molendinis posita erat domus furni, quam lapideam exstrui jusserat, anno 1315, prior Arnaldus Caturcensis (2). In cujus vero parte inferiori pistrinum erat, furnus quoque, cupreaque pondera ad ponderandos panes, antequam et postquam in furno coquerentur; aulaque parata erat in qua, exceptis diebus dominicis et festivis, quibus in domo gabiae ederent, ceteris diebus pranderent et coenarent pistores, « quum non possent hora determinata, sicut nec molendinarii, prandium sumere (3); » in cujus autem parte superiori nonnullae erant cellae, in quibus jacebant pistores; nam, quum in omnes grangias panes e monasterio deferrentur, quotidieque ad victum 450 personarum providendum esset, non computatis tamen panibus qui egenis distribui solerent, vel his multo vilioribus qui ad nutriendos canes ceteraque animalia expenderentur, quumque, asserente fratre pistore, « panem traderet saumatariis pro grangiis, et portario sororum pro sororibus, et refectorario pro fratribus, et magistro gabiae pro familia, et portario pro eleemosina, cuilibet sicut peteret et diceret se indigere (4), » meritoque declararet magister furni « quod expensa de

(1) *Visitatio*, fol. 30, col. 1.

(2) Martène, *op. cit.*, t. VI, col. 455.

(3) *Visitatio*, fol. 31, col. 1.

(4) *Ibid.*, fol. 18, col. 1.

pane esset notabiliter magna, » fratri pistori sex operarii auxiliabantur.

Ultra portam majorem, dextra ingredientis prioratum, muro eidem occidentali, meridiem versus, applicatae erant duo aliae officinae, de quarum forma situque pauca refert Petrus Guidonis, quia e magna aula tantummodo constabant, sartoria scilicet et sutoria, in quibus vestes, scapularia, caligaeque, calceamenta, sotularesque, ceteraque ad vestiendos tam fratres monialesque quam omnes in grangiis degentes, necessaria, confici solebant.

Praeterea, extra clausuram monasterii, per campos sparsa erant nonnulla alia aedificia prioratus continentia, grangiola scilicet Cammasii, in qua animalia custodiebantur cibariaque servabantur fratrum monialiumque victui necessaria (1); domusque juxta adaquatorium sita, in qua jacebant hortulani fratrum sororumque, invigilantibus canibus, qui diu impediti, noctu soluti per campos vagabantur.

(1) De grangia Cammasii, cf. *Visitatio*, fol. 13, col. 3, fol. 23, col. 4.

CAPUT XI.

DE GRANGIIS MONASTERII.

A monasterio decem vel etiam triginta millia passuum distantes, per Lauraguesium, Carcassesium, Reddesiumque sparsae erant circum Prulianum prioratus grangiae, quae a fratribus Praedicatoribus ita diligenter moderari et curari solebant ut, annis 1540-1541, frater Petrus Guidonis, visitationis officio dum fungeretur, grangias omnes peragrans, quomodo regerentur inquisiverit, nonnullaque in eis reformari opportune mandaverit. Sive a grangiis reciperent quae ad victum necessaria essent, a Ramundenchis grangia scilicet « onuclos, perdices et venationes, quando in montana de Ramundenchis caperentur (1), » in monialium infirmitorio tantummodo comedendas, caseos autem pingues caprinosque pro refectorio, a ceteris grangiis gallinas ad sustentandas morbo senioque gravatas sorores, a grangiariis Villamfrancam aut Agassens (2) regentibus, vervices, a procura-

(1) *Visitatio*, fol. 14, col. 3.

(2) *Ibid.*, fol. 2, col. 1; fol. 3, col. 2.

tore S. Martini de Limoso tria quintalia « e candelis de cepo (1) », sive contra in grangias mitteret panes ad omnes in eis morantes personas nutriendas, necesarios (2), sive ad omnes grangias regendas, fratres donatosque designaret, sive grangiarum incolas in infirmitorio curandos reciperet et foveret, ut fratrem Nicolaum, apud Sauzens grangiarium, qui, quum Petrus Guidonis grangiam visitaverit, absens fuerit, « ipso grangiaro existente infirmo in Pruliano (3), » semper omnes grangias sibi retinebat Prulianensis prior ita arctissime connexas, ut, si monasterii corpus, ut verba Petri Guidonis usurpem (4), effingeret prioratus, merito monasterii membra grangiae haberentur.

Non ejusdem momenti erant omnes grangiae; nam in grangiola apud Cumbam majorem sita, sex tantum personae necessariae erant, in grangia autem Ramondina, multo majore, 54, in domo S. Martini de Limoso, computatis in Atace positis molendinis, 38 tam laici quam sacerdotes ecclesiae servientes (5), neque alia aliae similis erat. Nam, apud Limosum, et Villamfrancam et Fontemlupanum, ecclesiae parochiales grangiis annexae erant (6), apud Limosum, bladeria quoque erant draperiaque molendina, juxta S. Petrum de Picamora, in qua grangia erat unus forestarius (7), patebant silvae, multoque majores

(1) *Visitatio*, fol. 15, col. 2.

(2) *Ibid.*, fol. 3, col. 1; fol. 4, col. 1; fol. 5, col. 3.

(3) *Ibid.*, fol. 12, col. 2.

(4) *Ibid.*, fol. 1, col. 1.

(5) *Ibid.*, fol. 7, col. 3; fol. 10, col. 2; fol. 11, col. 1.

(6) *Ibid.*, fol. 2, col. 1; fol. 7, col. 3.

(7) *Ibid.*, fol. 4, col. 1.

circum Ramondens, ubi sex forestarii duoque conductitii homines erant « pro incisione et venditione que fit de nemore (1). » Quum eo plura in grangiis aedificia essent quo variores essent ipsarum proventus et redditus, in qualibet examinanda sunt primo quae communia cum aliis haberet, et deinde quae propria grangiae natura requisivisset propria aedificia.

Plerumque contingebat ut grangiae formam quadratam effingerent murisque clauderentur. Rem enim inauditam adeoque mirabilem, Petro Guidonis visitatori grangiaris apud Mazerolas explanavit querendo « quod locus ille, quum esset male clausus, aliquibus muris indigeret pro clausura aere (2). » Portalia adeo ampla habebant grangiae, ut quam maximae oneratae ingredi valerent quadrigae, duoque « ad invicem se respicientia (3), » ut verbo visitationis actorum utar, et a circio alterum, ab austro autem alterum aperta. Etenim nonnulla apud Fontemlupanum reformans mandat Petrus « ut tam portale a parte austri quam illud quod est a parte circii, cooperiantur (4); » et apud Cammasium « portale ex parte austri » refert, « et quod est a parte circii. » Non ita similem locorum statum praebuisse videtur grangia apud Mazerolas; propterea querenti grangiaris morem gerens, edixit Petrus Guidonis « quod fierent duo portalia, ad invicem se respicientia,

(1) *Visitatio*, fol. 11, col. 1.

(2) *Ibid.*, fol. 5, col. 2.

(3) *Ibid.*, fol. 21, col. 3.

(4) *Ibid.*, fol. 26, col. 1.

unum ex parte circii et aliud ex parte austri (1). »

In interiori grangia, omnibus aedificiis circumdata erat area, in qua fruges tererentur, paleisque dividerentur; quumque in omnibus grangiis segetes colerentur, in omnibus quoque area esse solebat. In qua etiam fruges ventilari videntur, quia in actis visitationis, area existere dicitur « pro ventilando blado (2). »

Porticibus plerumque claudebatur area. Etenim in grangia apud Villamfrancam sita, duo porticus memorantur, altera ante portam majorem exstructa, altera priori adversa, « due porticus, una que est super fontem, in ingressu, et alia que est retro prope stabulum (3). » Eandem formam praebebat area in grangia Ramondina, in qua Petrus Guidonis praecepit ut porticus usque ad murum clausurae protenderetur, « faciendo porticus alias et clausuram... protendendo in quadrum unum alium murum, cum porticibus, usque ad domum caprarum (4). » Maxima sane utilitati omnibus grangiis, quae rei pecuariae operam impendebant, ad animalia adaquanda, fons erat, qui apud Villamfrancam, in porticu anteriori areae, haud longe a porta majori, existebat.

Circa aream, diversa erant grangiae aedificia, imprimis hospitium in quo morabantur soli grangiarius, ejus socius, donati, hospites, omnesque qui conventui

(1) *Visitatio*, fol. 20, col. 4.

(2) *Ibid.*, fol. 5, col. 3.

(3) *Ibid.*, fol. 1, col. 3.

(4) *Ibid.*, fol. 25, col. 1.

adscripti erant, operariis conductitiis in vicinis castris sedes habere solitis; quos tamen aliquando in grangia in domibus locatis, morari ex eo opinemur licet quod in grangia, apud Agassens sita, « domum ad censum » aptari Petrus Guidonis jussit (1).

In omnibus grangiis (2) memoratur hospitium tam in majoribus, apud Villamfrancam, Agassens, S. Petrum de Picamora, et Ramondens sitis, quam in minoribus quoque, ut Vezolae grangiola; quod eo majus erat quo plures personas caperet oportebat, nec idem esse poterat apud Vezolam, ubi tantum sex morabantur incolae, ac apud Limosum ubi 38 habitabant personae.

Villaefrancae, in inferiori hospitio, coquina erant et coenaculum vel aula haud magna, in qua soli tantum comedere dicuntur grangiarius, ejusque socius, sacerdos in ecclesia parochiali, grangiae annexa, sacris fungens, duo donati sextaque persona (3), quae, etsi non nominatur in actis visitationis, prior tamen Prulianensis videtur fuisse, in aula comedere solitus, quotiescumque Villamfrancam veniebat. In superiori autem hospitio, dormitorium erat commune, in quo jacere debebant omnes Praedicatores fratres professi, conversi, laici, vel etiam donati, seu ibidem morarentur, sive in grangia paulisper deverterentur, cameraeque secretae, in quibus excipi seculares sole-

(1) *Visitatio*, fol. 20, col. 3.

(2) *Ibid.*, fol. 1, col. 4; fol. 3, col. 1; fol. 4, col. 2; fol. 9, col. 3; fol. 7, col. 3; fol. 11, col. 3.

(3) *Ibid.*, fol. 19, col. 3.

bant vel alterius religionis fratres qui in propriis cellis, honoris causa, recipi debebant. « Quod nullus secularis vel alterius professionis religiosus ponatur in superioribus cameris ad jacendum, nisi esset persona multum spectabilis seu notarius inquisitorum (1). » In grangia Sauzens nuncupata, in superiori hospitio erat coenaculum, quia in actis visitationis refertur « scala per quam ascenditur ad aulam (2), » dormitorium quoque et cellae, quia hic poni solebant in omnibus fratrum Praedicatorum tabulatis domibus.

In inferioribus domibus, cellarium seu stabulum fuisse opinemur licet, quippe quae in eodem situ posita essent in magna domo lapidea Prulianensi et in hospitio Limosino. Etenim Limosi in plano stabulum latrinaeque sita erant; nam Petro Guidonis, domum visitanti, declarat procurator se in alia viae parte hospitium alterum emisse « pro mutandis ibi latrinis quae inficiunt domum, et stabulo faciendo (3). » In inferioribus quoque aedificiis, verisimile est existisse coquinam et coenaculum, dormitorium autem in superioribus; quae omnia non ita parvam praebebant mensuram, quum in eis continuas moras agerent procurator quatuorque fratres qui res hospitii procurabant, octo sacerdotes et quatuor clerici qui sacra in ecclesia peragebant, donatus denique « qui levabat census et foriscapia et emebat carnes. » Cellas quo-

(1) *Visitatio*, fol. 20, col. 1.

(2) *Ibid.*, fol. 12, col. 4.

(3) *Ibid.*, fol. 9, col. 1.

que paratas esse quibus secretius vivere liceret, credibile est; nam vicarius curatus, qui et officialis Mirapiscensis erat, licentiamque in ecclesia sua non residendi ab archiepiscopo Narbonensi (1) impetraverat, una cum fratribus donatisque vitam egisse, monastico ritu, nobis non videtur, sed potius cellis propriis usus esse. Alias quoque cameras ad excipiendos hospites aptatas esse constat, quia Petro Guidonis a procuratore declaratum est « duos lectos pro hospitibus deficere (2). »

Ad ea servanda quae terra ferebat, nonnulla erant necessaria aedificia, in primis cellarium quod Villae-franchae memoratur, non testudinatum tamen, sicut erat magnum cellarium Prulianense, sed tabulatum; nam Petro Guidonis grangiarius ostendit cellarii « trabes transversales, quae sunt fractae (3), » et reficiendae. Quamvis tantum in visitatione Villae-franchae referatur cellarium, opinanda sunt cellaria etiam in ceteris exstitisse villis; in omnibus enim grangiis, si excipias Ramondens, ubi frigore vitis impediabatur, vinum factum esse videtur ex his visitationis verbis: « Recepta de omni vino quod recolligitur in monasterio, necnon *in grangiis et omnibus pertinentiis dicti monasterii*, pro quolibet anno, 716 tonellos de vino puro (4). » Quum ubique vinum factum videatur, ubique quoque cellaria exstructa opinanda sunt.

(1) *Visitatio*, fol. 7, col. 3.

(2) *Ibid.*, fol. 9, col. 1.

(3) *Ibid.*, fol. 2, col. 1.

(4) *Ibid.*, fol. 35, col. 1.

Multo magis putandum est in grangiis graneria seu horrea exstructa esse; nam, quia fruges in quolibet monasterii praedio prae ceteris colerentur, frumentum, hordeum, avena, legumina inter omnium grangiarum proventus memorentur, quumque Petrus Guidonis perpenderit quantas fruges in universis Prulianensibus pertinentiis prolatae essent, hanc scripsit haud minimam summam (1) :

« Recepta de omnibus frumentis, quae recipiuntur in monasterio Pruliani, de censibus in grangiis vel in molendinis Limosi, de decimis vel de aliis rebus quae possunt obvenire quoquomodo ad dictum monasterium, vel in grangiis, vel alibi, de uno anno, scilicet 593 modii de frumento.

» Item eodem modo sicut predictum est de frumento, idem de blado grosso, 592 modii. 4 sext., emina de omnibus bladis grossis computando de milio, de leguminibus de ordeo, avena, siligine, de arraone et de omnibus aliis bladis grossis. Summa summarum de omnibus bladis supradictis, 1185 mod., 4 sext., emina. »

Ad tantam frugum copiam servandam quae monialium agris ferebantur aut censivarum decimarumque ratione exigebantur, in omnibus grangiis exstructa erant horrea, quae in Fenoleti et Villaefrancae visitationibus memorantur (2).

Saepenumero quoque contingebat ut in *cigiis* frumenta ceteraque fruges asservarentur, de quo vocabulo, etsi tacet Cangius, explanationem satis lucidam

(1) *Visitatio*, fol. 34, col. 3.

(2) *Ibid.*; horrea apud Villamfrancam, *granerium* apud Fenoletum memorantur, fol. 2, col. 1; fol. 6, col. 3.

dare possumus. Etenim Petrus Guidonis praecepit ut Villaefranchae, extra grangiam, animalibus lanutis fieret stabulum « super cigias de novo factas (1); » ex quo evidenter apparet subterraneas latebras fuisse cigias, meritoque gallice *silos* nuncupandas esse. Qui frumenti servandi modus monasterio acceptissimus fuisse videtur, sive quia facilius, sive quia non magno parabilis pretio erat; nam, anno 1340, recen-ter nonnullae apud Villamfrancam, factae erant cigiae; et apud Fenoletum praecipiebat visitator ut tam in bovinorum animalium stabulo « quam alibi infra clausuram multiplicarentur cigiae, quantum commode fieri posset (2). »

Quamvis Villaefranchae et Fenoleti tantum, cigiae memorentur, in ceteris quoque grangiis exstitisse videntur. Nam de cigiis Petrus Guidonis praeceptum edixit generale, in omnibus monasterii praediis executioni mandandum, ut apponeretur « diligentia quod sciretur pariter et scriberetur in papiru, *et hoc idem fieret in omnibus grangiis*, quantum quelibet cigia communiter reciperet et posset tenere de blado (3). »

Palea in aedificiis congesta erat quae *paleria* nuncupata, in monasterio Prulianensi inveniri rettulimus. Quum in omnibus grangiis frumentum frugesque ceterae ferrentur, paleaeque e granis dividerentur, necesse erat in omnibus palerium fieret,

(1) *Visitatio*, fol. 19, col. 4.

(2) *Ibid.*, fol. 22, col. 3.

(3) *Ibid.*, fol. 22, col. 3.

quamvis in una tantum grangia S. Petri de Picamora memoretur juxta aream, ubi messis perticis flagellabatur, et stabulum in quo equis palea dari solebat (1).

In omnibus grangiis, rei pecuariae multo major impendebatur opera, in quibus, dum perpauci annotantur operarii « pro agricultura, » frugibus a censualibus et colonis solutis potius quam immediate monasterio terra genitis, e contrario multi numerantur animalium custodes in tribus generibus distincti, bubulci seu boerii, pastores ovium et porquerii, quia boves, oves et porci simul in villis pascebantur.

Quum in omnium grangiarum visitatione, bubulci seu boerii memorentur, armentaque bouum, opinanda est « una domus pro boali » in omnibus rusticis aedificiis facta, quamvis Fenoleti tantum et Cammasii expresse referatur (2). Attamen, in grangia Ramondina, omnium fere ditissima et amplissima, in qua pascebantur multo plura quam in aliis praediis animalia vaccina, 222 scilicet, « inter que sunt et numerantur 22 vituli anni presentis, et de aliis 200, sunt 115 vacce levantes et nunc plures pregnantes (3), » nulla tamen erat domus boalis, sive spatium, sive pecuniae ad tantum stabulum tot animalium capax, exstruendum, deficerent, et diu noctuque, totum per annum, sub divo jacebant armenta. Sed hoc Ramon-

(1) *Ibid.* : « Stabulum quod est infra aream... quum sit prope pallerium... » fol. 4, col. 2; fol. 24, col. 1.

(2) *Visitatio*, fol. 6, col. 3; fol. 13, col. 3.

(3) *Ibid.*, fol. 11, col. 2.

dinae grangiae proprium fuisse et ab omnibus damnosum habitum, nobis declaratur mandato quo Petrus Guidonis edixit « quod locus pro custodia animalium grossorum in hieme ampliartur, quia predicta animalia sepius periclitantur et contrahunt diversas infirmitates a frigore, quia jacent sub divo, faciendo porticus alias et clausuram (1). »

Ovilia quoque in nonnullis erant grangiis, apud Villamfrancam videlicet, ubi mentio fit de quodam « stabulo pro animalibus lanutis, » quod ex eo non suffecisse videtur, quia Petrus Guidonis praecepit ut alterum fieret extra clausuram super cigias (2). Apud Agassens quoque, infra clausuram claudebatur ovile, quod refici extra portam, anno 1540, agebatur, novamque exstrui « domum extra portam pro animalibus lanutis (3). » In nonnullis tamen villis, in quibus deficiebant ovilia, sub divo aut in porticibus jacebant greges; nam in grangia Cammasii, a grangiaro, anno 1540, petitum est ut, altero exstructo stabulo, in ovile mutaretur prius stabulum derelictum; « dixit quod esset expediens quod fieret domus boalis, et domus, que nunc est, lanutis animalibus applicaretur (4). » Ex quo fit ut antea nulum in grangia ovibus gregibusque ovile assignatum sit.

Quum nulla nisi porcina carne vescerentur operarii

(1) *Visitatio*, fol. 25, col. 1.

(2) *Ibid.*, fol. 2, col. 1; fol. 19, col. 4.

(3) *Ibid.*, fol. 3, col. 2.

(4) *Ibid.*, fol. 13, col. 3.

incolaeque Prulianenses, bovina ad victum minime confecta, solisque aegrotantibus servata ovillina, porci opimi facti, occisi, saleque conditi, omnibus in grangiis laborantibus, donatis scilicet, laicis et operariis victum per annum praebebant. Etenim in grangia Villae-francae, anno 1540, invenit Petrus Guidonis « novem porcos pingues pro salatura (1), » apud Agassens sex, apud S. Petrum decem vel undecim, grangiariusque asserit « quod tot porcis pinguibus pro salatura indigent pro predicta grangia et alia de Mazerolis (2); » eademque similibus fere verbis de ceteris dicuntur villis. Porci quoque educabantur ut opimi facti, in nudinis venderentur, quae in castris vicinis certis anni temporibus, fieri solebant. Sauzens enim grangiarius, anno 1540, educare videtur « 28 porcos, scilicet viginti pro nutriendo, et septem pingues pro salando, et indigenti solum 7 pro salatura (3), » Fenoleti, « decem porcos, de quibus indigebant sex pro salatura, alii venduntur (4). »

E quibus, quum in singula villa grex porcorum educari videatur, constat quoque stabulum porcorum factum fuisse, neque mireris quod in sola grangia S. Petri de Picamora, referatur « domuncula pro porcis, extra aream et etiam extra portam (5), » quum de solis inquirat Petrus Guidonis aedificiis quae reficienda vel reparanda sint, et de ceteris taceat.

(1) *Visitatio*, fol. 1, col. 4; fol. 3, col. 1; fol. 4, col. 1.

(2) *Ibidem*.

(3) *Ibid.*, fol. 12, col. 3.

(4) *Ibid.*, fol. 6, col. 2.

(5) *Ibid.*, fol. 4, col. 2.

Quum in plano aedificatae essent grangiae multasque personas nutriendas haberent, oportebat ad colligenda olera ad victum necessaria, unus vel plures fierent horti. Apud Villamfrancam, duobus hortis minime sufficientibus, ut tertius fieret « maxime pro cepis et alliis ibidem faciendis (1), » a Petro Guidonis exposcebant incolae, acres acutosque cibos, ut meridianos decet, libentissime appetentes! Apud Agassens, S. Petrum et Fenoletum « habent duos hortos, necessarios pro cursu hospitii et sufficiunt(2); » dum hospitio Limosino et Ramondinae grangiae unus tantum, sed valde peramplus, sufficebat hortus (3).

Aliud quoque aedificium in plerisque grangiis existisse videtur, etsi in una tantum expresse memoratur, capella scilicet, quia maximam impendebant curam grangiarum fratresque Praedicatorum ut praediorum incolae, coloni omnesque ipsis subditi, omnibus fungerentur officiis ab Ecclesia impositis. « Omnes, praecepit Petrus Guidonis, debent confiteri ad minus quater in anno, et communicare similiter quater in anno, nisi forte de consilio sui confessoris abstinerent, videlicet in festo Natalis Domini, in festo Sancto Pasche, in festo Sancto Penthecostes, et in festo Omnium Sanctorum (4). » Multo majorem curam adhibuisse videntur Prulianenses priores ut, diebus dominicis et festivis, sacris adessent omnes grangiarum

(1) *Visitatio*, fol. 1, col. 4.

(2) *Ibid.*, fol. 3, col. 2; fol. 4, col. 2; fol. 6, col. 3.

(3) *Ibid.*, fol. 7, col. 4; fol. 11, col. 3.

(4) *Ibid.*, fol. 35, col. 3.

incolae, quibus quum praeciperetur « ne ad castra circumvicina seu alia loca sine licentia seu mandato discurrerent (1), » verisimile est in grangia missam celebrari solitam esse, ibidemque capellam esse exstructam. Quod factum esse eo fortius putamus, quod in grangia Villaefrancae, cui capella propria minime necessaria esse videretur, quum ecclesiam parochialem haberet sibi annexam, capella propria in actis visitationis refertur. Etenim Petrus Guidonis Villaefrancae memorat (2) « ecclesiam exteriorem », quae *exterior* non diceretur, si nulla altera in *interiori* grangia facta esset. Porro, quum praeter capellam exteriorem omnibus publicam, altera interior in grangia exstrui jussa sit, multo magis nobis credendum est oratorium in villis exstructum esse, quae tria aut quatuor millia passuum ab ecclesia parochiali distarent.

Praeter jamdicta aedificia, quae in omnibus inveniri solebant grangiis, nonnulla propria singula habebat villa (3). Etenim vivarium et columbarium villaefrancae erant. Quum, attentis spatiis quae per montana paterent, vacuis et incultis, in grangia Ramondina omnia in promptu essent ut caprae caprinaeque greges educarentur, ut eduli caseique Prulianensibus infirmitoriis edendi mitterentur, nutriebat ibidem grangiaris « 170 capras pro edulis facien-

(1) *Visitatio*, fol. 35, col. 3.

(2) *Ibid.*, fol. 1, col. 4.

(3) *Ibid.*, fol. 19, col. 4.

dis, » « domusque caprarum » exstructa erat (1).

Sed multo majoris momenti in grangia Ramondina erant fabrica et ferraria, quae duas quadrigas et quatuor equos detinebant occupatos, ferrumque rude vel fabricatum Pruliano omnibusque grangiis suppeditabant. Etenim, in rationibus grangiarum ponere solebat : « 17 libras pro viginti quintalibus ferri quae, anno quolibet, mittuntur apud Prulianum ; item, 10 libras, 16 solidos pro 12 quintalibus ferri quae omnibus grangiis distribuuntur omni anno (2). » Ferri extracti magna parte in grangia fabricari solita, magna erat Ramondina fabrica (3), in qua varia instrumenta fieri solebant, Pruliano ceterisque grangiis necessaria. Nam quotannis in rationibus grangiarum ponebat « decem libras pro aratris quae apud Prulianum et grangias transmittuntur, » et 6 libras « pro sex sarcinatis de circulis tonellorum quae mittuntur apud Bromium et grangias (4). »

E tribus molendinis *S. Petri de Flassiano, de Bocaria, et d'en Cerni*, in Atace, juxta Limosum, in inferiori flumine positus, domui Limosinae veniebant haud parva pecuniarum summae; quorum unum, molendinum scilicet *S. Petri*, a monachis Electensibus emptum supra demonstravimus; alterum de *Bocaria* e familia de Vicinis in manus monasterii devenisse sic nos docet rerum Limosinarum peritissimus

(1) *Visitatio*, fol. 11, col. 2; fol. 25, col. 1.

(2) *Ibid.*, fol. 11, col. 4.

(3) *Ibid.*, fol. 11, col. 1.

(4) *Ibid.*, fol. 11, col. 4.

vir, Fonds Lamothe : « Il fit partie de l'assignation en faveur de Pierre de Voisins, échut en lot à Guillaume de Voisins, son fils, et devint la propriété de Jeanne, fille de celui-ci et épouse de Pierre de Mesalan, qui le vendit au monastère de Prouille, vers la fin du treizième siècle (1). » Quae instrumentis constabant, olim in Archivio Limosino asservatis, sed nunc incuria negligentiaque rudium nimis custodum deperditis. Molendinum Cerninum, incipiente saeculo XIV, emptum pecuniis a cardinali Sabinensi monasterio legatis, sic in actis visitationis declaratur : « pro monialibus legavit V^c florenos unde redditus emerentur, ut pitancia fieret perpetuo sororibus et fratribus quater in anno, scilicet in diebus anniversariorum ipsorum, et qui floreni praedicti fuerunt conversi in cujusdam molendini possessionem, in Limoso, in flumine Atacis, et vocatur molendinum Cernini, situm immediate post alia molendina monasterii (2). »

Monasterium procuraverat ut ampliarentur molendina, eodem instrumento quo emisset S. Petrum de Flassiano, jus sibi vindicando ibidem ponendi « tel nombre de muelles bladières et drapières que bon lui sembleroit (3), » emendoque Cerninum, quo facilius Bocariam augetet. Quamvis, quo magis *paxeria* molendini elevaretur, eo majore in discri-

(1) Fonds Lamothe, *Notices historiques sur la ville de Limoux*. Limoux, 1838, p. 120.

(2) *Visitatio*, fol. 33, col. 3.

(3) Cf. supra, p. 72.

mine esset Limosum ut Atacis furentibus aquis opereretur, nonnullos palmos ita aggerem eduxerunt moniales ut duabus, quae prius essent, molis, octo alias addiderint (1), lisque incepta sit inter urbem Limosinam ex una parte, quae aggerem deprimi, conventumque Prulianensem ex altera, qui omnia in eodem statu conservari peterent. Cujus processus acta et instrumenta, nostris adhuc temporibus in Limosino tabulario invenire licet (2). Multis hinc et inde propositis articulis, liteque secundo post anno terminata, conclusum est ut agger deprimeretur, sed pro detrimento quod acciperent moniales, ipsis 1200 agnos aureos solvere tenerentur Limosini consules; ex qua pecuniarum magna summa, inducere possumus quanti momenti esset molendinum de Bocaria. Sed multo magis demonstratur numero personarum quae continuo in molendinis Limosinis occupari solebant, tres videlicet molendinarii, 4 nuntii, 14 operarii conductitii, in summa 21 homines (3).

Duplex erat ipsorum natura; nam in instrumento quo molendinum S. Petri emptum est, memorantur nonnullae « muelles bladières et drapières (4), » et in actis visitationis, molendina draperia et molendina bladeria (5) Limosi sita; sed, quum nunquam plura tribus exstiterint quae ibidem in Atace, juxta urbem habuerint molendina moniales, opinandum est eadem

(1) Fonds Lamothe, *op. cit.*, p. 121.

(2) Arch. municipii Limosini.

(3) *Visitatio*, fol. 7, col. 3.

(4) Cf. *supra*, p. 72.

(5) *Visitatio*, fol. 7, col. 3.

fuisse draperia bladeriaque simul. In bladeriis bladum seu frumentum teri farinamque parari evidenter lucideque constat, et gallico vocabulo *minoteriès* interpretamur; draperia autem Cangius intelligit « locos ubi venduntur vel conficiuntur drappi (1); » ex quo inducere licet non solum molendina fuisse, in quibus farina e frumento, hordeo ceterisque frugibus extraheretur, sed etiam officinas in eisdem aedificiis habuisse monasterium in quibus e lana panni conficerentur. Neque mirum omnibus erit quos non fefellerit pannos in Occitania universa, et proprie Limosi, medio aevo texti solitos esse, ut inde in orientales plagas late vendendi trans maria permitterentur (2). E quibus molendinis non minimos exigebant moniales redditus. Nam in bladeria frumentum, hordeum ceteraque molenda deferrebant Limosini cives, grani certa parte pro censu soluta. In omnibus enim quae Limosinum hospitium accipere solebat, scribebantur quae monasterium in molendinis bladeriis exigebat :

« Recepta molendinorum bladorum de Limoso.

» Primo 5 mod., 8 sext. de frumento. }	molendinum de
Item 5 mod., 6 sext. de ordeo. . . . }	Bocaria.

(1) Cangius, art. *draperia*.

(2) Fonds Lamothe, *op. cit.*, p. 100 : « La fabrication des draps était, comme le disaient nos pères, *la nourrice du pays* (Arch. munic., acte de 1489). Du reste, tout rappelle l'ancienneté de cette industrie : les noms des rues (Parerie, Parerie-Neuve, Bourrierie), les titres les plus anciens, l'existence de moulins à foulons et, pour leur entretien et celui des rames, la faculté de prendre le bois dans les forêts voisines. J'ai lu, dans le leudaire de 1267, qu'on fabriquait des draps ordinaires, de la futaine blanche, verte, noire et bigarrée, et dans

Item 12 mod., 8 sext. de frumento.. . . .	}	molendinum de S. Petro.
Item 16 mod., 5 sext. de ordeo.		
Item 8 mod., 1 sext. de frumento.	}	molendinum d'en Cerni (1). »
Item 6 mod., 1 sext. de ordeo.		

Eodem prope modo fullonicis officinis utebatur monasterium, non ut eas suis ipsius applicaretur necessitatibus, sed ut eas textoribus Limosinis locando, pretium inde compararet. Nulla enim mentio fit de pannis monialium Limosi textis, Prulianum e draperiis molendinis missis. Quae si fieri solita essent, in visitationis actis annotata reperirentur, sicut animalia ceteraque cibaria e grangiis Prulianum ducta, ferrumque rude fabricatumque Ramundenchis in monasterium ceterasque grangias deportata. Imo, Pruliani textores omnia confecisse quae ad vestiendos fratres sororesque necessaria erant, plane scimus (2). Quapropter, molendina draperia ab extraneis conduci videntur pretio numerato solita. Nam in rationibus procuratoris S. Martini invenimus « 140 libras, 15 solidos, de omnibus molendinis draperiis (3). » Quum vero, sive ad nutriendos operarios, nuntios et molendinarios, sive ad stipendia solvenda, ibidem monasterium 80 lib., 10 sol. expenderet, sic restabat monialibus 60 lib., 5 sol.; quae pecuniarum summa non minimi erat momenti, minoris tamen quam

Lapopelinière, qu'on s'occupait aussi de fins estamets. Les laines indigènes servaient seules à leur confection; on les teignait avec le redoul, la gaude, la garance, le trintanel et le pastel. »

(1) *Visitatio*, fol. 8, col. 1.

(2) Cf. *supra*, p. 156.

(3) *Visitatio*, fol. 7, col. 4.

quae sperabatur. Itaque praecepit Petrus Guidonis ut « ad evitandas magnas et grandes expensas, quae fiunt pro molendinis, tam pro famulis conductitiis quam pro saumeriis necessariis, cum, computatis expensis, non multum de residuo haberet monasterium..., dicta molendina non tenerentur ad manus monasterii, sed potius aliquibus bonis hominibus, qui bene essent solvendo, sicut melius et utilius fieri posset, arrendarentur (1). »

Quamvis cum praedio rustico discrepare prima specie videatur carcer, memoratur tamen apud Ramondens, ubi Petrus Guidonis mandat « quod locus super carcere ad securitatem grangie elevetur; » et apud Fenoletum, ubi grangiarius declarat expediens esse « quod esset ibi unus locus determinatus et securus pro carcere (2); » visitatorque, justa habita grangiarum postulatione, edicit ut « fiat ibi unus locus acomodus pro carcere sine magnis expensis; » causamque grangiarius et visitator nos docent, necessarium declarando carcerem, « quum dominium dicti loci de Fenoletum sit monasterii..., ex eo quod monasterium habet in predicto loco bassum dominium (3). » Eadem, imo multo majori causa, carcer in Ramondina erat grangia, ubi merum et mixtum imperium exercere, summamque justitiam cum regiis magistratibus dividere supra explanavimus (4).

(1) *Visitatio*, fol. 23, col. 2.

(2) *Ibid.*, fol. 6, col. 3; fol. 22, col. 3.

(3) *Ibid.*

(4) Cf. *supra*, p. 90.

Denique nonnullis grangiis unitae erant ecclesiae parochiales in quibus jure patronatus fruebatur conventus, quarumque series annotatur in inquisitione, anno 1425, de statu monasterii facta. Missis enim regiis interrogatus respondit sororum syndicus « quod inter ceteros redditus et proventus spirituales, et ecclesias quos et quas dicti domini nostri summi pontifices eis in perpetuum dederunt et concesserunt, sunt et fuerunt ac esse consueverunt ecclesiae parochiales B. Mariae Virginis, loci de Villafranca Lauraguesii, B. Mariae de Forcia Ferrandi, et etiam B. Martini de Fenolheto, et BB. Juliani et Basilissae loci de Bromio (1). » Quibus addendae sunt ecclesiae B. Martini de Limoso et B. Mariae de Fanojovis; quarum hanc a Fulcone, episcopo Tolosano, illam a Berengario, archiepiscopo Narbonensi, monialibus traditas esse, nobis supra constitit (2).

Variis nexibus monasterio unitae erant ecclesiae, laxioribus si in ipsis mero patronatus jure fruerentur moniales, strictioribus autem, si conventus omnino juris essent. Etenim, quum Limosi, Fenoleti, Villae-franchae cura animarum ita monialibus esset commissa, ut parochi personam ageret conventus, in spiritualibus vices suas perpetuo vicario delegabant sorores, sed, sibi reservata rerum temporalium procuratione, stipendia vicariorum, sacerdotum et clericorum qui in ecclesiis sacris fungebantur, juraque

(1) Arch. Atacin., Inquisitio, anno 1425 facta. Documenta Prulianensia.

(2) Cf. supra, p. 29 et 52.

archiepiscopis Narbonensi et Tolosano, ecclesiarum ordinariis, solvebant, et una cum magistratibus, operam impendebant ut aedificia ecclesiarum in bono statu permanerent. Etenim in rationibus suis hujusmodi expensas ponebat procurator S. Martini de Limoso :

« Primo, 65 libras pro salario sacerdotum et clericorum cum pensione vicarii et sinodi et aliorum deserviencium in dicta ecclesia ;

» Item, 20 libras pro procuracione domini archiepiscopi ;

» Item, 20 libras pro vestiario quatuor fratrum et unius donati, deserviencium in dicta ecclesia ;

» Item, 2 sext. archidiacono, valent 20 sol. ;

» Item, 3 eminas archipresbytero, valent 7 sol. 6 den. (1). »

Animum quoque intendebat conventus ut in parochia S. Martini spiritalia sedulo ministrarentur, verboque Dei sacramentisque parochiani bene pascerentur ; de cujusmodi enim negotiis inquirenti Petro Guidonis, declaravit procurator « quod sacramenta administrabantur parochie et parochianis sine defectu, et quod non videbat aliquid aliud circa ecclesiam emendandum (2). »

Sed postquam de spiritalibus temporalibusque functae erant moniales, exigebant suisque usibus propriis jure applicabant omnia quae ad rectores in parochiis spectare decreto cautum erat, census videlicet, oblationes panis, vini et cereorum ceteraque

(1) *Visitatio*, fol. 8, col. 4.

(2) *Ibid.*, fol. 9, col. 1.

casu rectoribus ecclesiisque devenientia ; quae in ecclesia S. Martini de Limoso haud minimam 358 librarum, 9 solidorum summam explebant :

« Item, 348 lib. 9 sol. de omnibus rebus obvenientibus ad dictam ecclesiam in diversis casibus, exclusis pane, et vino, et torticio, et candelis cere, que mittuntur apud Prulianum :

» Item, 10 lib. estimantur valere oblationes panis et vini ecclesie predictae (1). »

Magnos quoque redditus e decima percipiebat procurator, 140 videlicet modios vini, valentes 350 lib., 15 modios frumenti, 10 modios hordei, et 24 sextarios leguminum (2).

Etsi pauca refert Petrus Guidonis de ecclesiis Villaefranchae et Fenoleti, quas multo Limosina ecclesia minores, minori quoque cura visitavit, illas quoque affirmare licet strictissimis nexibus monasterio unitas esse. Quum enim animarum cura in utraque vicario perpetuo (3) esset commissa, opinemur licet in ipsis onera, jura, redditusque ad sorores spectavisse (4). Rationibus enim constat, Fenoleti, stipendium vicario a monialibus solutum, decimas autem a grangiario exactas ; Villaefranchae, archiepiscopo Tolosano a conventu procurationis jura soluta « pro ecclesia de Villafranca, cujus proventus recipit mo-

(1) *Visitatio*, fol. 9, col. 1.

(2) *Ibid.*, fol. 8, col. 3.

(3) Cf. supra.

(4) *Visitatio*, fol. 6, col. 4 ; fol. 7, col. 1.

nasterium, » vicarioque stipendia, sed a grangiaro decimas exactas esse (1).

Eisdem fere conditionibus ecclesia de Bromio a monialibus procurata declaratur quia et ibi a sororibus vicarius stipendia accipere et decimas exigi solerent (2).

Non adeo unita monasterio fuisse nobis videtur ecclesia Fanojovia, neque in visitationis, neque in inquisitionis actis memorata. Testamento enim a Johanne Sesala, anno 1423, condito, sui fere juris fuisse demonstratur, non solum quia rector, non vicarius dictus est Sesala, sed etiam quia nonnulla legavit « opere seu fabrice ecclesie B. Marie de Fanojove (3). » Ex quo compertum habemus suos redditus, a se ipsa procuratos, habuisse praedictam ecclesiam. Quum tamen, ex altera parte, nobis constet ipsam monialibus habendam primo, anno 1227, a Fulcone, deinde, anno 1260, a Raimundo de Felgario (4) Tolosanis episcopis, postremoque, anno 1275, a Gregorio papa X (5), confirmatam esse, ex omnibus supra memoratis inducamus licet jus tantum patronatus in eadem ad moniales spectavisse, quo, Decretalibus Gregorii IX, in lib. 3, tit. 28, definito, rectorem ec-

(1) *Visitatio*, fol. 1, col. 3 et 4.

(2) *Ibid.*, fol. 13, col. 1.

(3) Paul Laurent, *Testament de Jean Sésale, curé de Fanjeaux*. Carcassonne, 1886, p. 9 : « Michi *rectori* ecclesiae parochialis B. Mariae de Fanojovis. »

(4) Cf. supra, p. 53.

(5) Potthast, n° 21007.

clesiae ordinario instituendum praesentare certosque census percipere valuerint.

Monasterii igitur formam, qualem effingere conatus sum, inspicienti, evidenter apparet quanta vi omnes inter se cohaerent partes, ut omnia Prulianum in monialium monasterium vergerent, quo, sicut et anima corpus, omnia quoque prioratus agerentur membra. Quo facilius enim a negotiis solutae, totis viribus Deo famularentur moniales, juxta ipsarum domus, sedes locaverant fratres Praedicatorum, res prioratus procurantes, grangiae constitutae erant, unde ipsis cibaria suppeditarent, omnesque fratres, laici, donati, famulique laborabant ita ut alvearium mihi in mentem revocet prioratus, in quo apum operariarum ceteri personas egerint, moniales autem reginarum.

EXPLICIT LIBER DE PRULIANENSI MONASTERIO.

VIDI AC PERLEGI :

Lutetiae Parisiorum, in Sorbona,

Idibus dec. ann. MDCCCXCV,

Facultatis Litterarum in Academia Parisiensi Decanus.


A. HIMLY.

TYPIS MANDATUR :

Academiae Parisiensis Rector,

GRÉARD.

✕







BQX
7320.
.G9
Guir
Da

Jan 13-86 14 St.

Guiraud, J.

BQX
7320.
.G9

De Prulianensi monasterio
ordinis praedicatorum...

PONTIFICAL INSTITUTE
OF MEDIAEVAL STUDIES
59 QUEEN'S PARK
TORONTO 5, CANADA

